



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

Liber Cl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)



Husri Supplicium.

Heidig fec. A.V.

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CI.

BONIFACIUS, PAPA IX.
RUPERTUS IN OCCIDENTE, EMANUEL
IN ORIENTE IMPERATORES.

§. I.

*Unionis negotium electo novo Impera-
tore mutatum.*

Cum Imperii status tam propter Wen-Sæcul. XV.
ceslai depositionem, quam Ruperti A.C. 1401.
electionem novam induisset faciem, Gobel. Per-
in ipso quoque unionis negotio nonnullæ son. cap. 70.
Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. A exor- p. 219.

Sæcul. XV. exortæ sunt rerum vicissitudines. E-
A. C. 1401. quidem S. R. I. Electores antehac ad ex-
 tinquendum schisma juncta opera cum
 Carolo VI ad laborare decreverant; dum
 vero, ut ad novam electionem possent
 procedere, Bonifacio Papæ supplicant,
 obtento illius consensu haud ultra quic-
 quam in Pontificis præjudicium moliri
 voluerunt, satis se fecisse rati, si genera-
 tim sponderent, se ad restituendam Ec-
 clesiæ pacem, quicquid virium suarum
 fuerit, collaturos. Tam subita Princi-
 pum mutatio amplissimis, quibus Simon
 Cramaudus Patriarcha Alexandrinus a
 Germanis omnibus subtractionis viam es-
 se adoptandam retulit, pollicitationibus
 minime correspondens, quo minus ex-
 pectata fuit, eo vehementius Regis ani-
 mum perculit. Quare ad Imperii Electo-
 res Archiepiscopum Aquensem, & Joan-
 nem Montrolium Secretarium Status
 ablegat, qui solido trimestri nil intentat-
 um reliquerant, ut Germaniæ Principes
 ad promovendam una cum Rege cessio-
 nis viam inducerent, & Bonifacium Pa-
 pam, ut juxta datam prius fidem Ponti-
 ficatum abdicaret, quantum in ipsis esset,
 permoverent. Pergunt itaque hi Fran-
 cofordiam, ubi ad prosequendum idem
 negotium agebantur Comitia. Verum
 ab Electoribus non aliud obtinere pote-
 rant responsum, quam omnino tuendam
 esse

*Raynald. ad
 hunc ann. n.
 s. 3. Et.*

esse Bonifacii auctoritatem, ac ideo ad Sæcul. XV.
 procurandam Ecclesiæ unionem longe a- A.C. 1401.
 liam quam cessionis viam excogitandam.

Aliunde Rupertus, cui ad instituendam in Italiam expeditionem Bonifacii gratia plurimum necessaria erat, se nunquam in hanc abdicationis viam iturum, Pontifici spondit. Inde ortum est, quod Patriarcha Alexandrinus ab aula exulare juberetur, quamvis forte isthæc Electorum inconstantia ejus culpæ adscribi non posset, utpote qui bona semper fide in hoc negotio processit.

§. II.

Bohemiæ & Hungariæ regna a Bonifacii obedientia deficiunt.

Verum etsi Ruperti electio Bonifacii rebus propitia accideret, ex altera tamen parte hæc ipsa non levem duorum regnorum defectionem promoverat, scilicet Bohemiæ, quia idem Papa Wenceslai depositionem assensu suo firmaverat, & Hungariæ, eo quod neglecto Sigismundo, Ladislaum Caroli de Dyrrachio filium coronari fecisset. Postquam enim Pontifex compererat, quod illa Hungarorum factio, quæ Carolum Dyrrachinum advocabat, ceteris potentia & numero emineret, quodque Sigismundus carceri

A 2

manci-

Sæcul. XV.
A.C. 1401.

Niem. l. 2.
c. 17. & 18.

Summon.
cap. 2. l. 4.

mancipatus, & Ladislaus Caroli Filius in Regem salutatus esset, ipse quoque hujus neo-electi Principis partibus accessit, utque illius animum sibi devinciret, eundem Jaderæ in Dalmatia per Cardinalem Florentinum Legatum suum in Regem Hungariæ coronari voluit. Exinde Sigismundo a subditis suis, qui fere omnes ad officium redibant, e carceribus erepto, Ladislaus sibi timens, ne in Hungaria eadem, qua Pater suus, sorte premeretur, in Regnum suum reversus est, nullaque mora duo etiam illi fratres, Wenceslaus, & Sigismundus, relicta Bonifacii obedientia, Benedicti obsequio adhæserunt, hac repentina defectione præcox in Rupertum & Ladislaum Pontificis studium castigaturi. Ita nempe tunc temporis integræ nationes & regna summorum Pontificum obedientias mutabant, prout privati commodi ratio, ac passionum vicissitudo, quibus ipsorum Principes tenebantur, eisdem suadebant.

§. III.

Richardus II Angliæ Regno excommunicatur.

Walsing.
pag. 264.

Diffensiones in Anglia sub Richardo II ob malam regni administrationem, necnon ob Joannis Gandavensis Lancastriæ

striae & Thomae Gloucestriae Ducum, Regis Patruorum ambitionem suscitatae, tandem devolutae fuerunt ad Catastrophen ignavo huic ac voluptatibus dedito Principi non minus exitiosam, quam tragicam. Connubio enim cum Caroli V. Galliarum Regis Filia inito gravem in se concitavit Anglorum invidiam, qui eum velut Gallorum arbitrio ancillantem despiciebant, accedente insuper novo aversionis incremento, eo quod Brestum & Caroburgum urbes Gallis tradidisset.

Sæcul. XV.

A.C. 1401.

Polyd. Virg.

l. 20. Et 21.

§. IV.

Henricus regnum Angliæ occupat.

Henricus Comes Derbicensis, Lancastriae Dux post Patris sui obitum turbato hoc rerum statu opportune usus, Richardum ut solemni abdicatione regno Angliæ cederet, compulit, ac supremi regii Senatus auctoritate deponi jussum, & ad perpetuos carceres damnatum, demum turri Londinensi inclusit; Postridie vero die vigesima octava Septembris Henricus hujus nominis quartus Rex salutatus, anno millesimo quadringentesimo die tertia decima Octobris regia corona donatur, qui Anglorum mortem Richardi exposcentium favorem aucupaturus, infelicem Regem laqueo suffocari præcepit.

A 3

§. V.

Sæcul. XV.
A. C. 1401.

§. V.

Lollardorum hæresis.

Anno posteriore millesimo quadringentesimo primo non multum post Epiphaniæ solemnia Henricus Rex coacto Londini Senatu decretum edidit adversus Lollardos. Erant ii Wiclistarum propago, antehac ingentium causa tumultuum: pro suo Antesignano quemdam agnoscebant Anglum nomine Cobhamum, magis vero sub nomine Joannis Odel-Castelli notum, qui anno millesimo quadringentesimo decimo septimo ad finem vergente sub obtentu rebellionis, re ipsa autem ob Wiclistanam hæresin ultimo supplicio affectus fuerat.

Walsug.
pag. 327.
Et 364.

Lollardi, Dupino teste, in Germania pro suo Coryphæo habebant Gualterum Lollard, qui circa Annum millesimum trecentesium decimum quintum suos errores disseminare cœperat. Hi sacramenta Ecclesiæ spernebant, & illius cæremonias ac præcepta deridebant, nec jejunia nec abstinentias observabant, Sanctorum intercessionem aspernabantur & reprobos quoque Angelos aliquando salvandos fore profitebantur. Trithemius horum Sectariorum errores referens, testatur, Bohemiam æque ac Austriam ejusmo-

jusmodi hæresi infectas, & in Germania **Sæcul. XV.**
 octoginta hominum millia & amplius **A.C. 1401.**
 hac errorum peste contaminata fuisse,
 pluresque eorum a sua pertinacia ad
 mortem usque dimoveri haud potuisse.
 Tandem etiam sese in Angliam usque dif-
 fuderunt, ubi dogmata prorsus abomi-
 nanda contra Clericos & Sacramenta
 effutierunt. In undecimo Conciliorum *Labbæus*
 tomo legimus, quod Bonifacius Papa jam *Coll. Concil.*
 Anno supra millesimum trecentimum *tom. XI.*
 nonagesimo sexto datis literis Richardum *p. 209.*
 Regem obtestatus sit, ut Prælati Eccle-
 siæ contra Lollardos opem ferret, eosque,
 qui hæresis convincerentur, condemna-
 ret. Vero satis simile est, intuitu hu-
 jus Pontificis Epistolæ eodem adhuc
 anno Londinense coactum fuisse Conci-
 lium, in quo octodecim ex Trialogo Wi-
 clefi damnabantur articuli, quorum ali-
 qui concernebant Eucharistiam, infan-
 tes sine baptismo decedentes, summum
 Pontificem, & Episcopos; alii vero Ma-
 trimonium, oblationes, decimas, ac
 bona ecclesiastica. Thomas Arundelius
 Cantuariensis Archiepiscopus a Bonifa-
 cio in hac eadem Sede collocatus, & a
 Richardo II Angliæ Cancellarii munere
 decoratus, articulos istos proscripsit.

Sæcul. XV.
A.C. 1401.

§. VI.

*Decretum Regis Angliæ contra
Lollardos.*

Cum vero Lollardi, insuperhabita hac condemnationis sententia, suas hæreses ubique locorum disseminare pergerent, Henricus Rex eodem hoc anno contra eos illud condidit decretum, quod paulo ante commemoravimus. In hoc Decreto sancitum est, ut ubicunque perversam suam doctrinam tueri deprehensi fuissent, caperentur, Episcopo Dioecesano tradendi; si vero in defendendis suis opinionibus contumaces persisterent, e gradu suo dejecti, a iudice sæculari puniendi darentur. Walsinghamus in vita Henrici IV Angliæ Regis testatum reliquit, hanc legem executioni mandatam fuisse in quodam ex his sectariis simplici opifice, qui scandalosam hanc tenebat propositionem, scilicet, quod Corpus Christi realiter in Eucharistia non existat, sed id, quod in ea sumitur, nil nisi nescio quid inanimatum sit, minus æstimandum, quam bufonem quemdam aut araneam, cum ista saltem forent animata. Postquam igitur blasphemus iste iudicio sæculari subjectus fuerat, dolio ferventis olei pleno injectus misere periit, errori suo pertinaciter immortalis. Jam percipiamus

Walsing.
p. 339.

piamus articulos, quos idem Scriptor in Sæcul. XV.
A.C. 1401.
 allegato opere Lollardis attribuit.

§. VII.

Lollardorum errores.

Docebant Lollardi, Sacramenta eo modo, quo in Ecclesia Romana administrantur, nil nisi mortua signa esse; nulliusque valoris; Virginitatem & Sacerdotum cælibatum non esse status a Deo approbatos, ac proin, Virgines, Sacerdotes, Religiosos si salutem consequi velint, vel ad nuptias, vel saltem ad nubendi propositum teneri; secus agentes, fore homicidas, utpote sacrum semen destruentes, unde altera confurgeret Trinitas, atque numerum salvandorum, aut damnandorum interrumpentes; Solam vero voluntatem, qua Vir & mulier invicem nubere statuerent, ad actuale matrimonium jam sufficere, nec aliam Ecclesiæ obedientiam esse præstandam; ex quo consequeretur, numerum conjugatorum longe majorem dici debere, quam crederetur; Ecclesiam esse synagogam Sathanæ, hancque ob causam templa ad adorandum Deum ab eis non frequentari, nec ullum recipi Sacramentum, præcipue S. Eucharistiæ, quæ, juxta ipsos, nil nisi frustum panis mortui esset, turris ac pinaculum Anti-Christi; Si haberent

Sæcul. XV. A. C. 1401. puerum recens natum, non esse baptizandum per manus Sacerdotum, ne infans iste, utpote altera Trinitas, & nullo coinquinatus peccato, pejor evaderet, si deveniret in Presbyterorum manus; Nullam diem, nequidem ipsam Dominicam ceteris magis sanctam esse; In ordine ad laborandum, manducandum aut bibendum omnes dies æqualis reputari libertatis; Post hanc vitam nullum dari purgatorium; Ad expianda peccata nullam aliam requiri poenitentiam, quam ut homines crimina desererent, & de iis poeniterent.

§. VIII.

Initia Joannis Hussi.

Tritk. chron. *an. 1401.* *Cochl. Hist.* *Hussit.* **E**rrores isti in Bohemiam usque penetrantes, opitulante Joanne Hussio, cujus historiam impræsentiarum exordimur, in hoc regno non modicos nacti sunt progressus. Joannes Hussus, alias Husfinetz, a quodam Bohemiæ oppido, in quo natus erat, nomen traxit, nam nomen suum a nativitatis loco mutuare, illius ævi consuetudo ferebat. Illum majore ingenii subtilitate, quam oris eloquentia præditum fuisse referunt. Ast morum suorum severitas, vitæ rigor, facies pallida atque extenuata, comitasque sermonis non paucos ei conciliavit secta-

sectatores. Quia vero nil magis Viri in-
 dolem detegit, quam ipsius scripta; hinc
 vel maxime etiam ex libris Joannis Husfi
 proditur immanis illius rabies adversus
 Ecclesiam, & generatim contra omnes
 Clericos, præcipue contra Judices eccle-
 siasticos, quamvis cæteroquin sua di-
 ctione ingentem mentis simplicitatem, &
 cordis candorem simulasset. Hic, cum
 non mediocri polleret ingenii acie, & ter-
 so ac expedito uteretur sermone, in A-
 cademia Pragensi, quæ tunc temporis
 florentissima erat, sua mentis perspicaci-
 tate magnum sibi nomen peperit. Ex-
 orta enim in hac Universitate quadam
 dissensione, Wenceslaus Rex contra Teu-
 tones Doctores decretum edidit, quo in
 patriam reverti juberentur, qua rerum
 vicissitudine non parum Joannis Husfi
 existimatio augebatur. Quare omnes
 honorum gradus conscendit, si Doctora-
 tus Lauream exceperis; hac enim un-
 quam eum insignitum fuisse haud constat.
 Creatus fuerat artium liberalium Ma-
 gister & anno millesimo trecentesimo no-
 nagesimo tertio Theologiæ Baccalaureus;
 anno vero sequenti Decanus facultatis
 Philosophicæ, demum anno salutis mil-
 lesimo quadringentesimo nono Rector
 magnificus salutatur. Ipso anno millesi-
 mo quadringentesimo Sophiæ de Bava-
 ria, Bohemorum Reginae & Wenceslai
 Conjugi

Sæcul. XV.

A.C. 1401.

*Æn. Sylv.
 hist. Bohem.
 cap. 35. Et
 epist. 130.*

Sæcul. XV. A.C. 1401. Conjugi a confessionibus fuit, apud quam, ut fertur, multum auctoritate ac gratia valebat. Paucis post tempore prædices quidam Cives Pragenfis ibidem Ecclesiam sub nomine Bethleem suo ære condidit, cujus Parochus destinabatur Joannes Hussus, qui suis sermonibus, & catecheticis instructionibus ad vulgus habitis in lingua Bohema (quæ a Sclavonica derivatur) vel maxime se commendabat. In dicta Ecclesia contra Indulgentias libere ad populum dicere cœperat, illo fultus decreto, quo Sigismundus, qui se tunc Bohemiæ Rectorem dicebat, ac contra Bonifacium Ladislai fautorem non modice exacerbatus erat, quascunque demum pecunias in regno colligere, ac transmitters Romam prohibuit. Joannes Hussus hac Regis indignatione in rem suam uti haud neglexit, cui etiam minime incognitum erat, Wenceslaum propter sui depositionem consensu Pontificis firmatam, Bonifacio infensum, haud indignanti animo sacrilegos ejusmodi sermones laturum; accessit quoque funestum inter Pontifices schisma, quod Hussus talia impune effutiendi licentiam tribuebat.

§. IX.

Sæcul. XV.
A.C. 1402.*Dissidia Gallorum ob subtractam obedientiam.*

Dum interea isthæc fierent in Bohemia, tota Gallia partim ob subtractam Benedicto obedientiam, partim propter Avenionensem illius captivitatem jam quartum in annum protractam, gravibus agitabatur tumultibus. Gallorum enim quamplurimi in contraria scindebantur studia, nonnullis utrumque palam criminantibus, aliis vero id ipsum approbantibus; quos inter postremos præcipui erant Bituricensis, & Burgundus Duces, & potissima Cleri Gallicani pars, nec non Parisiensis Universitatis quam plurimi. Ex adverso Aurelianensis Dux, Aragoniæ Legati, Academia Tolosana, complures Clerici, atque ipsius quoque Parisiensis Universitatis nonnulli omnem suam impendebant operam, auctoritatemque, ut Pontifex e carcere liber dimitteretur, & subtracta eidem obedientia redderetur. Omnes istæ animorum dissensiones acerrima inter Principes excitabant jurgia, utpote inter quos jam ex aliis titulis haud magna adeo vigeat concordia. Academia Parisiensis publice proclamari jussit, quod quicumque subtractam obedientiam damnaret, schismatis

Monach.
S. Dionys.
Ursin. hist.
Carol. VI.

Sæcul. XV.
A.C. 1402.

tis fautor esset. Ex altera parte, Petrus Rabanus S. Pontii Episcopus, ut Ducis Aurelianensis, & Arragonensium Legatorum gratiam aucuparetur, palam profitebatur, pessime actum fuisse, quod Pontifex carceri datus esset, addens, si Benedictus fati cederet, præsentem Cardinales alium Pontificem eligendi jus amisisse, eo quod proprium suum Dominum in carcerem detrudentes, criminis læsæ Majestatis se reos fecissent. Plebs quoque, prout semper assolet, ad plurimum, & potentiorum partes accessit.

Igitur Rex Galliæ animos circa subtractæ obedientiæ articulum tantopere divisos comperiens, Præsulum, regni que Procerum coegit comitia, in quibus tandem maturiore deliberatione totum decideretur negotium. Aurelianensis Dux Papam pristinae libertati restituendum omni contentione postulabat, quinimo se velle propria sua manu liberare Pontificem, Bituricum Duce, ipsoque Rege præsentibus jactitabat, quem propterea Bituricensis durioribus verbis excepit, & juncto cum fratre suo Burgundiæ Duce consilio excubitorum stationes duplicato præsidio firmari jussit, ut eo arctius omne epistolarum commercium, & cujuscunque hominis alloquium Benedicto intercluderetur.

§. X.

Sæcul. XV.
A. C. 1402.*Joannis Galeatii Mediolanensium
Ducis obitus.*

Eodem hoc anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, Joannes Galeatius Mediolani Dux in medio summæ prosperitatis cursu vitæ suæ stadium absolvit. Tota Italia morte ipsius formidabili hoste liberata tripudiabat. Ditiones ejus, quia inter tres filios suos (quorum unus erat spurius) eas diviserat, in partes dissectæ, tandem in prædam cesserunt iis, qui ceteris potentiores erant. Bonifacius hac opportunitate temporis usus plures urbes, uti Bononiam, Perusium, & magnam Mediolanensis Ducatus partem recuperavit, flocci pendens Ruperti Imperatoris prætensiones, qui status istos atque Provincias sibi jure competere, & a Joanne Galeatio non nisi injuste ab Imperio avulsas contendebat.

*Leonard.
Aret. l. 12.**Poggius
lib. 4.*

§. XI.

*Bellum Tamerlanis adversus
Bajazetem.*

In Oriente Bajazetes, postquam decennali obsidione Constantinopolitanam urbem cinxerat, aut potius exercitu suo circum-

*Leunclav.
lib. 7.*

Sæcul. XV. circumseptam incluserat, tandem a cæ-
A.C. 1403. ptis desistere cogebatur, ut vires suas

Tamerlani Mogolis seu Tartariæ Impe-
 ratori objiceret. Genuinum hujus nomen
 erat *Themir-lanc*, seu *Timur-lenc*, quod
 in Persico idiomate claudum significat.

Chalcondyl.
lib. 1.

Regnavit sex & triginta annos, quibus
 Syriam, Chorasam, Indiam & Persiam
 suis subiciebat armis, & Anatoliam us-
 que progressus, Sebastiam Tarcis eripuit.
 Bajazethes victricibus ejusdem signis
 metam positurus, illum bello aggredi sta-
 tuit. Jamque uterque exercitus Angu-
 riæ, quæ olim Ancyra dicebatur, sibi
 occurrunt, ibidemque die vigesima octa-
 va Julii anno millesimo quadringentesimo
 secundo magna utrinque victoriæ ac
 mutuæ cædis aviditate dimicant. Tan-
 dem Bajazethes immani clade affectus
 capitur, & Tamerlanis jussu ferreæ ca-
 veæ includitur, cujus clathris caput vio-
 lentis adeo ictibus allisit, ut repetita e-
 jusdem percussio octavo captivitatis Men-
 se Hegiræ anno octingentesimo quarto

Leunclav.
lib. 9.

desperabundam Imperatoris animam ex-
 truserit. Silet hoc mortis genus Chal-
 condyles: Alius etiam quidam Persa,

Chalcondyl.
lib. 3.

Auctor coævus paucis abhinc annis Gal-
 lico sermone redditus narrat, Bajazethem

Petit
a Cruce hist.
Tamerl.

apoplexia tactum obiisse die vigesima
 tertia Martii anno millesimo quadringen-
 tesimo decimo tertio.

§. XII.

Sæcul. XV.

A. C. 1403.

Benedictus ab Aurelianensi liberatus.

Equidem Dux Aurelianensis nil magis in votis habebat, quam subtractam Benedicto obedientiam restitui; Ast cum tam ob virium suarum impotentiam, quam ob Normannorum excubias a Bituricensi & Burgundo Ducibus auctas, aperta vi Benedictum libertati asserere desperaret, rem dolo perficere tentat, hunc in finem opera usus cujusdam Nobilis Normanni, Robineti seu Roberti Braquemontii, qui in quadam exigua civitate prope Avenionem præsidiariis imperabat Gallorum copiis. Hunc omnes Aurelianensis partibus addicti (quorum haud parvus inter Aulicos erat numerus) sollicitant, illumque facili negotio inducunt, ut summi cujusdam Pontificis a se liberati gloria stimulatus tantum facinus aggredi non dubitaverit. Braquemontio liberrimus ad Palatium patebat accessus, illucque sæpius se contulit, suos populares, qui ejus perfidiam minime suspectam habebant, invisurus. Tandem animi sui propositum, & demandatam sibi a Duce provinciam Pontifici exponit. Benedictus etiam ab Amicis suis, quos

Juven. Ur-
sin. hist.
Carol VI.
pag. 142.

Hist. Eccles. Tom. XXV.

B ex

Sæcul. XV.
A. C. 1403.

ex Aulicis numerabat, de mediis ad ipsum liberandum excogitatis, necnon de probata Braquemontii fide satis edoctus, totum se ejus dexteritati concredidit. Qualiter autem Braquemontius rem aggressus sit, percipiamus. Opportune quingentos circiter collegit equites, partim ex suis præfidiariis, partim ex Aragonensibus copiis, aliisque ab Aurelianiensi Duce clam sibi submissis; hisce, ut ad diem duodecimam Martii convenirent, haud procul Avenione constitutum edicit locum; nonnulli quoque Nobiles Viri vario sub prætextu ad dictam urbem confluentes quamdam domum occupant, ad quam Pontifex, simul ac Palatio aufugisset, sese reciperet.

§. XIII.

Benedictus personatus custodia liberatur.

Juven. ibid. **H**is omnibus ita dispositis, ac destinato die tandem appropinquante Braquemontius more suo Palatium adibat, totoque pomeridiano tempore ibidem moratus serotinas expectabat horas, quo cunctis, qui ex civitate cœnaturis efferebant cibaria, liberior ingressus ac egressus permittebatur. Tunc ipse cum aliis per hanc portam, obsistente nullo, urbe egressus

Monach.
S. Dionys.
lib. 22. c. 11.

fus est, quem Pontifex peregrina veste
 indutus, & quodam Braquemontii famu-
 lorum pallio, ac si ex eorum numero
 esset, tectus presso pede sequebatur. In-
 de Benedictus abducitur in domum, in
 qua Nobiles Galli anxie illius præstola-
 bantur adventum; quo viso omnes ad
 pedes ejus provoluti, eosdem ex-
 osculantur & medium inter se inceden-
 tem extra urbis moenia ducunt ad locum
 quingentis militibus antea designatum,
 qui eum ad castrum-reginaldi, parvam
 quamdam civitatem exiguo intervallo
 Avenione distitam comitabantur. Dicitur
 autem Benedictus nihil eorum, quæ
 in Palatio habebat, secum abstulisse, si
 exceperis Regis Galliarum literas, quibus se
 nunquam subtractioni ab ejus obedientia
 consensisse testabatur, & Corpus Chri-
 sti Domini in quadam pixide asservatum,
 tunc quoque antiquam servare volens
 summorum Pontificum consuetudinem,
 quibus iter facientibus semper sanctissi-
 mum Sacramentum præferri solebat.
 Monachus Sancti Dionysii, cujus histo-
 riam Laborius idiomate Gallico donavit,
 quoddam subjungit factum, ex quo Be-
 nedicti indoles, ingeniique acies elucet.
 Cum enim toto captivitatis suæ tem-
 pore barbam prolixius aleret, parum an-
 xius, quod inde criminis argueretur, etsi
 id S. Canonibus contrarium esset, fan-

sæcul XV.
 A.C. 1403.

Juven. Ur-
 sin. Hist.
 Carol VI.
 pag. 153.

Monach.
 S. Dionys.
 l. cit. p. 461.

Sæcul. XV. dem barbitonsorem, qui eum raderet, vo-
A.C. 1403. cari iussum, qua domo esset, interro-
 gat. Hic cum Picardum patriâ se esse
 diceret, Papa reposuit; ergo Normannos
 vere mendaces esse oportet, utpote qui
 non semel meam barbam se tonsuros
 jurarunt (*). Solo igitur hoc faceto
 sale de Normannis vindictam fumere vo-
 luit; quamvis ab eis sat indigne habitus
 fuisset; quo factò illius animum ab ulcis-
 cendi cupidine alienissimum fuisse per-
 spicitur.

Itaque Papa resumtis Pontificalibus
 insignibus, totius Auctoritatis suæ pleni-
 tudine uti cæpit, quam quoque ad mor-
 tem usque conservare firmiter statuebat,
 quicquid demum ad occultandos veros
 animi sui sensus in contrarium dixerit.
 Post hæc militibus, qui ad palatium A-
 venionense antehac excubias agebant,
 amotis, Cives, qui olim Pontificem ateo
 acerbe exagitabant, nunc ut eos in gra-
 tiam suam denuo recipere dignaretur, sup-
 plices

(*) *Ti foglio far la barba, apud Italos tri-
 tum est proverbium, quod idem significat, ac a-
 pud Latinos: te supplantabo, naso adunco su-
 spendam, insidias struam, in tui ruinam con-
 spirabo &c. cum ergo a Normanno Benedictus
 invitis etiam Normannis, qui sæpius ei mala
 iminitabantur, ereptus fuerit, per jocum eos
 mendaces fuisse, nec sibi barbam rasisse dixit.*

plices rogarunt, quod & ipse præterito-
 rum immemor, benevole promisit, hoc
 tamen adjecto pacto, ut Magistratus, cu-
 jus fidelitatem semper sibi suspectam ha-
 bebat, Palatii muros tormentorum icti-
 bus everfos repararet, quod Papa post-
 modum numerofo milite ex Arragonen-
 sibus copiis selecto munivit.

Sæcul. XV.
 A.C. 1403.

§. XIV.

*Galliarum Regi datis literis suam
 fugam nuntiat.*

Post hæc Benedictus Regi Franciæ da-
 ta Epistola suam e carcere ereptionem
 significat, simulque protestatur, se nunc
 utpote libertati restitutum, pacis ac u-
 nionis negotium, prout bono ac quieti
 Ecclesiæ magis expedire videretur, secu-
 rius ac decentius, Deo opitulante, prose-
 cuturum; si forte Nobiles suis dictis fi-
 dem adhibere dubitarent, quorundam si-
 nistris malevolorum narrationibus sedu-
 cti; eos se obsecrare atque hortari, ut
 ejusmodi detractoribus faciles non præ-
 berent aures; se enim nunquam suo de-
 futurum officio, quominus fideliter suis
 stare promissis. Pariter ad Principes &
 Parisiensem Universitatem speciosas ex-
 pedivit Epistolas, in quibus quanto stu-
 dio pro pace Ecclesiæ arderet, exponit,

*Hist. Uni-
 vers. Paris.
 tom. IV.*

Sæcul. XV. tandemque obedientiam sibi debitam re-
 A.C. 1403. stitui, & subtractioni postulat abrenun-
 tiari.

§. XV.

*Cardinales denuo in gratiam
 recepti.*

Cardinales, qui ab eo defecerant, pari-
 ter in ejus gratiam redire allabora-
 runt; A principio repulsam simulabat
 Pontifex, postquam vero ea, quæ ante-
 hac egerant, ipsis acerbior objurgatione
 exprobraverat, eosque ad majorem fide-
 litatem impofterum sibi exhibendam ad-
 hortatus fuerat, plenam eis concessit de-
 lecti gratiam, Bullamque abolevit, qua sua
 dignitate exutos, ad eligendum Papam,
 si occasio ferret, incapaces declaraverat,
 intentato etiam contra eos anathematis
 fulmine. Hi ergo vigesima nona Aprilis
 Papam adeunt, & in genua provoluti sup-
 plices veniam deprecantur, quos Bene-
 dictus in reconciliati animi testimonium
 mensæ suæ adhibet: Ast necdum omnis
 eorum disparuit timor, nam nil nisi mili-
 tiæ Præfectos prandio accumbere, to-
 tamque aulam armatis plenam conspi-
 cientes, cum tamen potius Antistites, a-
 liosque Ministros Ecclesiasticos interven-
 taros sperarent, se certo certius omnes
 truci-

trucidandos fore pertimescebant. Tan-
dem vero omnem exuunt metum, dum se
a Pontifice admodum benevole haberi
conspiciunt, utpote qui ipse tunc de
propriæ suæ Personæ securitate non pa-
rum sollicitus, nunquam sibi satis tutus
videbatur, quamvis valida militum ma-
nus ad Ecclesiam euntem comitaretur,
& usque ad ipsum Altare conduceret.
Vero simile est, quatuor duntaxat præ-
sentes fuisse Cardinales, scilicet Guido-
nem Malefinum, Cardinalem tituli S. Cru-
cis, alias dictum Cardinalem Pictavien-
sem, quod hujus Ecclesiæ Episcopus es-
set; Nicolaum Prancatium Cardinalem
Albensem, Amadæum de Salutiis, fan-
cti Marci Cardinalem, & Petrum Car-
dinalem S. Angeli. Hisce quatuor Car-
dinalibus illi, qui Avenione manserant,
nomine suo rei gerendæ auctoritatem
relinquebant.

Sæcul. XV.
A.C. 1403.

§. XVI.

*Concordata Pontificem inter &
Cardinales.*

Facta hac reconciliatione Papa & Car-
dinales omnibus adhibitis solemnita-
tibus mutua inter se inierunt pacta,
comprehensis quoque Avenionensis Ur-
bis Civibus atque inquilinis, quorum o-
mnium

Sæcul. XV. **A.C. 1403.** **Marten.** **Anecd. tom 2** **pag. 1266.** **mnium** mediatorem agebat Ludovicus Avenionensis, eaque præsentibus Cardinale Pampilonensi, Jacobo de Prato Imperatoris Ruperti propinquo, nec non Regis Arragoniæ & Ducis Aurelianensis Oratoribus firma rataque habita sunt. Conventionis vero capita erant. I. Papa Cardinalibus & Avenionensibus Civibus generalem offensionum veniam atque oblivionem concedat. II. Cuncta in pristinum, quo ante subtractionem obedientiæ erant, statum restituantur. III. Cardinales, ejusdemque Civitatis incolæ Pontifici obedientiam præstent. IV. Cardinales omnem suam auctoritatem æque ac potestatem impendant, ut Benedicto in Gallis quoque restituatur obedientia, V. tandem, Papa his adimpletis, ex omnibus, qui suæ subsunt obedientiæ, cogat Concilium.

§. XVII.

Duo Cardinales a Papa in Franciam missi.

Juven. Ur- **fn. Hist.** **Carol. VI.** **pag. 153.** **Eodem** tempore Papa in Gallias ablegavit Cardinalem Pictaviensem & Salutianum, qui jam a sexto Mense & amplius denuo adhærebant Pontifici. His datum est negotium, ut obedientiæ restitutionem omnibus viribus procurarent;

rent; sed in hac legatione non modica **Sæcul. XV.**
 experti sunt obstacula, donec tandem al- **A.C. 1403.**
 tercationibus sat diutinis finem imposuis-
 set versutia Aureliæ Ducis, qui Carolum VI eo induxerat, ut Benedicto, quicquid ab eo exigeret, lubens præstaret. Die quinta decima Maji ambo isti Cardinales in Palatio S. Pauli fuerunt admissi ad Regis alloquium, cui etiam intervernerant Bituricensis, Burgundus, atque *Monach.*
 Aurelianensis Duces cum pluribus aliis *S. Dionys.*
 primæ Nobilitatis Viris. Cardinalis Pi- *l. 23. cap. 4.*
 ctaviensis ceterorum nomine perorans, sermonem suum absolvit, suppliciter exorando Regem, ut ad obsequium Benedicti rediret: postea vero maturiori deliberationi totum relinquens negotium unacum suo Collega abscessit. Non mediocris animorum ac sententiarum varietas partes dividebat. Aurelianensis Dux, qui pro restituenda Pontificis obedientia sententiam dixit, unacum pluribus aliis Doctoribus, Aurelianensi, Montis-pessulana, & Tolosana Universitatibus opinioni suæ adstipulantem habuit Petrum de Alliaco Cameracensem Episcopum. Horum iudicio sese opponebant Bituricensis ac Burgundus Duces, potior Parisiensis Academiæ pars, Simon Cramaudus Alexandria Patriarcha, & Petrus de Turejo, S. Susannæ Cardinalis. Nihilominus Aurelianensis Dux, Bituricum

Sæcul. XV. A.C. 1403. ricum ac Burgundiæ Ducum necnon & Præsulum Benedicto adversantium absentia in optatum propositi sui successum uti non destitit; nam Regis animum repetitis morbi sui assaultibus vehementer debilitatum dexterrime in suas partes flectere scivit, cum eidem ferme innumeras recitaret centurias omnium eorum, qui Benedicto obedientiam restituendam esse judicarent, utque dictis suis plenam conciliaret fidem, tam ponderosis Regem adorsus est argumentis, ut Monarcha se Benedictum pro legitimo Pontifice veneraturum jurejurando promitteret, & ad contestandam cordis sui lætitiā ipsius Hymnum Ambrosianum inchoaret, quem dein totus adstantium cœtus cantando profecutus est.

§. XVIII.

Carolus VI de restituenda Benedicto obedientia paciscitur.

Vix ad aures Bituricum, ac Burgundiæ Ducum pervenerat isthæc rerum mutatio, mox Regem illi accedunt, eidem factum hoc exprobraturi. Verum eorum animos facile placaverat, illis declarans, Papam justa, ac æquissima fovere consilia, & toti Franciæ adeo proficua spondisse, ut diutius eidem obedientiam detre-

detrectare nefas foret. His addidit Rex, ^{Sæcul. XV.}
 Ducem Aurelianensem in se recepisse, ^{A. C. 1403.}
 quod velit in casu mortis, cessionis, vel
 depositionis æmuli sui Benedictum indu-
 cere ad acceptandam, suoque sigillo fir-
 mandam cessionis viam, necnon ad omnes
 contra abdicationis medium factas in-
 tercessionis, plene revocandas; insuper
 quod sua auctoritate Dux peruasurus
 esset Benedicto, ut onera, quibus Eccle-
 sia Gallicana gravaretur, minueret, & Be-
 neficiorum collationes, ac promotiones,
 quæ durante subtractæ obedientiæ tem-
 pore ab Ordinariis factæ fuissent, ratas
 haberet, & in sua obedientia Concilium ^{Monach.}
 Generale, quamprimum occasio tulerit, ^{S. Dionys.}
 celebraturus esset. Equidem sat specio- ^{l. 23. cap. 4.}
 sæ erant omnes istæ promissiones: ast fi- ^{n. 5.}
 des earum valde dubia, cum aliunde Be-
 nedictus semper solitus fuerit, quicquid
 peteretur, ultro promittere, nunquam
 vero promissis stare. Nihilominus o-
 mnia ista promissa, licet mere illusoria,
 Bituricensis ac Burgundi Ducum animos
 captivarunt, ipsa quoque Parisiensis Uni-
 versitas horum sequebatur exemplum,
 excepta Normannorum Natione, suum
 assensum præbere diu ac pertinaciter re-
 cusante, quæ tamen & ipsa tractu tem-
 poris sese Gallis atque Picardis adjunxit,
 sola Natione Germanica neutras ad par-
 tes inclinante.

§, XIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1403.

§. XIX.

*Proclamatur restitutio Obedientiae
Benedicto præstandæ.*

Omniū ferme animis in eandem sententiam abeuntibus, Rex Duces ad suum Palatium sancti Pauli convocari jubet, quibus circa undecimam diei horam advenientibus equum conscendit, Ducumque, & plurimorum Episcoporum ac Abbatum comitatu stipatus ad Ecclesiam Cathedralem pergit. Ibidem Re divina per Pictaviensem Cardinalem solemnī ritu peracta, Petrus de Alliaco Cameracensis Episcopus prolixum habuit sermonem, in quo Regis nomine obedientiam Benedicto restitutam proclamavit, declaravitque, promissis a Papa in gratiam Franciæ Aurelianensi factis Regem fuisse permotum, ut ei obedientiam restitueret. Legit postea Episcopus promissorum articulos. Eadem die, scilicet trigesima Maji edictum promulgatum est, quo Rex omnibus suis subditis Benedicto obsequium præstari præcepit. Ut vero in Parisiensi quoque Universitate mutua pax & concordia adlectis de novo omnibus Academiæ membris, ex integro restitueretur, opportunum fore judicatum fuit, si & ipsi quoque FF. Prædica-

dicatores Univerſitati iterum affociaren-
tur, & abolita præteritarum diſſenſio-
num memoria in omnem iurium ſuorum,
ac privilegiorum poſſeſſionem revocaren-
tur, reſtituta eiſdem plena omnibus offi-
cii ſui partibus vacandi libertate.

Sæcul. XV.

A.C. 1403.

§. XX.

*Caſtella Benedicti obedientiam
adoptat.*

Caſtellani, qui antehac Gallorum exem-
plo a Benedicti obedientia defece-
rant, mox illos in obſequium ejuſdem
redeuntes imitati ſunt; tantaque ab ini-
tio apud eos erat Benedicti auctoritas, ut
illis omnino conniventibus Papa Archie-
piſcopatum Toletanum, qui reddituum a-
bundantia ceteros in Chriſtiano orbe fa-
cile ſuperat, Nepoti ſuo Petro de Luna
conferret, paucisque poſt diebus in quietam
illius poſſeſſionem eundem introduceret.
Galli vero, quod in hoc Pontifice non
mediocriter arguerent, brevi habebant;
nullum enim ex omnibus, quos Duci
Aurelianenſi promiſerat Benedictus,
implevit articulum. Nihilo ſecius
Dux Pontificem ſine dolo procedere ratus,
ipſum Regem induxit, ut ad eum ſolem-
nem mitteret Legationem; pro qua
ſeligebantur Philippus Vilettus, Abbas
ſancti

Monach.

S. Dionys.

l. 23. cap. 6.

Mariana

l. 19. cap. II.

Sæcul. XV. sancti Dionysii, & Archi-Diaconus Atre-
A.C. 1403. batensis. Qui anno millesimo trecente-
 simo nonagesimo octavo ad hanc Abba-
 tiam ab ipsis Monachis, obtento Regis
 assensu, electus fuerat, a Petro autem Or-
 gemontio Parisiensi Episcopo Pontificis,
 a cujus fide tunc temporis Gallia recesser-
 rat, vices supplente confirmatus. In e-
 jusmodi enim casu ad Episcopum Dice-
 cesanum electionis confirmandæ jura
 devolvi, celebriores deciderunt Canonum
 Doctores. Benedictus quidem ambos
 hosce Legatos a principio perbenigne re-
 cepit; verum exiguo post tempore Abba-
 tis electionem carpere, ac Virum tan-
 quam vi intrusum objurgare cæpit, ut-
 que de novo eligeretur, omnino voluit.

§. XXI.

*Papa electiones ad beneficia tempore
 subtractionis factas confirmare
 renuit.*

Hæc Pontificis cavillatio haud parum
 Regis, atque Aulicorum exasperavit
 animos. Interim Dux Aurelianensis, cui
 sane Pontifex summis titulis obstrictus
 erat, Belouadra, ubi tunc morabatur, die
 tertia Octobris Avenionem abiit, Bene-
 dictum salutaturus, sed irrito colloquii
 successu; nam ut beneficiorum collatio-
 nes

nes tempore subtractionis factas confir-
 maret, nullis precibus exorari potuit. U-
 niversitas quoque Pontificem de promissis
 sui fide ea, qua par est, reverentia ad-
 monuit, & celebris Joannes Gersonius
 prima die hujus anni Tarasconæ coram
 illo hanc in rem sermonem habuit, sed
 Papa ad omnia ista inflexibilis permansit.
 Tandem etiam duo alii Oratores, Archie-
 piscopus Aquensis, & Episcopus Came-
 racensis, qui illum ad fidem exsolven-
 dam urgerent, ablegati sunt: ast Ponti-
 fex hac in re nullis monitionibus un-
 quam cessit.

Sæcul. XV.

A.C. 1403.

§. XXII.

*Edictum Caroli VI pro Electionum
 confirmatione.*

Rex Galliæ comperta Pontificis pertina-
 cia, qui non solum sui promissi im-
 memor, sed etiam cuncta, quæ duran-
 te subtractione gesta sunt, irrita pronun-
 tiare statuebat, ad finem hujus anni pro-
 mulgat edictum, quo declarat, omnes
 electiones subtractæ obedientiæ tempo-
 re factas, omnino in suo vigore subsiste-
 re, ad Beneficia, dignitates, aut Præ-
 laturas promotos in pacifica eorumdem
 possessione permanere, illisque sine omni
 obstaculo frui posse, nec Pontifici, nec ejus
 quæste-

*Hist. Uni-
 vers. Paris.
 tom. 5. pag.
 67. & seq.*

Sæcul. XV. A.C. 1403. quæstoribus, aut Inquisitoribus quicquam solvere, nec alias pecunias ad ærarium Pontificis ratione beneficiorum vacantium, spoliatorum, procuratorum, decimarum, aut aliorum onerum, cujuscunque nominis, ac naturæ forent, pendere obstrictos esse; Denique severissime prohibet cunctis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Capitulis, Conventibus, aliisque Personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, ne præsentis huic mandato quacunque ratione contravenirent, illud infringerent, ei derogarent, aut violare præsumerent. Hoc edictum prodit die decima nona Decembris currente hoc anno, quod eo majorem Pontifici indignationem creavit, quo ampliori gaudio a Clero Gallicano exceptum est.

§. XXIII.

Legatio Benedicti ad Bonifacium IX.

Niem. de schism. l. 2. cap. 23.
Juven. Ur sin. pag. 164.

Nihilominus tamen Benedictus ad procurandam Ecclesiæ pacem primum semper simulabat animum, atque ut eo certius pro redintegranda unione opportuna fovere consilia crederetur, ad Bonifacium IX tunc Romæ residentem Episcopos, sancti Pontii, Malesinum, & Ilerdensem una cum aliis ablegat, eo fine
(ut

(ut inquiebat ipse & prout re ipsa Gallis Sæcul. XV.
A.C. 1404. persuasum erat) ut Bonifacium ad pacem Ecclesiæ Pontificatus cessione restituendam inducere conarentur. Oratores isti anno millesimo quadringentesimo quarto mense Septembri ad finem vergente Romam ingrediuntur. Non erat, qui certissimum non haberet, hisce Legatis unice injunctum esse, ut Bonifacio abdicationis viam proponerent, cum & ipse Benedictus se vicissim Pontificiæ dignitati renuntiaturum ubique sparsisset. Verum, quo pacto ipsa ejus perfidia in proprium caput reciderit, totumque suum negotium ad pessimam reduxerit conditionem, mox palam nobis fiet.

§. XXIV.

Benedicti oratores minus benigne excepti.

Postquam Benedicti Oratores Romæ advenierant, Bonifacius Papa illis aditum negabat, nisi prius fidem darent, se illi Pontificalia delaturos obsequia, eumque tanquam Papam veneraturos, qui quamvis ab initio nonnihil tergiversarentur, tandem, ne pacis negotio obstacula ponerent, Pontificis voluntati morem gesserunt. Legati ad colloquium a Bonifacio admissi ex parte Benedicti

Hist. Eccles. Tom. XXV.

C haud

Sæcul. XV. haud alia proponunt, quam quæ Bonifacius, ut diutius illuderet Orbi, jam ipse dudum exoptaverat, nimirum, communi utriusque consensu tutum quemdam eligendum esse locum, ubi de mediis ad abolendum schisma opportunis ambæ partes agere possent, declarantes, suum Dominum ad tam salutare negotium paratissimum esse. Ipsi quoque Cardinales Bonifacio addicti oppido benignis auribus hanc propositionem excipiunt. Verum Pontifex iste Benedictum sese jam antea ad cessionis viam solemniter sacramento adstrinxisse optime gnarus, in primo hoc confesso suam suspendit sententiam, responsumque decretorium ad subsequens remisit colloquium, quod etiam Oratoribus concessit, atque ad vigesimam nonam Septembris, quæ erat sancto Michaeli sacra, in suo Palatio penes Basilicam Principis Apostolorum indixit, celebratumque fuit præsentibus ipso Bonifacio, suis Cardinalibus, multisque aliis Curie Ministris.

Episcopus sancti Pontii in hoc colloquio præsentis schismatis mala omnium virium contentione exaggerabat, eo fine, ut Bonifacium ad cogitationes pacis, a quibus valde alienus videbatur, tandem flectere valeret. At tamen, cum Episcopus Benedicti merita extollere non posset, quin eo ipso Bonifacium deprime-

ret,

ret, Pontifex, cui plene persuasum erat, Sæcul. XV.
 quod, si Competitoris sui agendi ratio co- A. C. 1401.
 honestari, atque probari valeret, ipse ju-
 re suo excideret, indignabundus respon-
 dit: se legitimum Pontificem, Benedi-
 ctum vero Antipapam esse. Tunc Le-
 gati haud parum offensi replicant, Domi-
 num suum non esse simoniacum, tacite
 fugillantes propudiosam beneficiorum
 nundinationem, cujus Bonifacius reus
 dicebatur: Hoc responso Papa vehemen-
 tiori ira commotus jussit eos rupta o-
 mni mora Roma excedere, atque ad sua
 redire. Ad quæ Legati respondent, sibi a
 Papa, populoque Romano fidei publicæ li-
 teras datas, illis proin, utpote tempore si-
 bi præstituto necdum elapso, sese usuros.

§. XXV.

Bonifacii IX Papæ obitus.

Bonifacius hoc Legatorum responso im-
 moderatius fervore animi excande- *Monach.*
 scens in morbum incidit, violenta febr- *S. Dionys.*
 correptus, cui accessit gravissimus, quo *l. 24. c. 12.*
 jam diu laborabat, calculi dolor, hujus
 morbi vis tribus ex post diebus feria quar-
 ta die prima Octobris, anno sexagesimo
 quinto ætatis suæ, Pontificatus vero de-
 cimo quinto e vivis eum exturbavit. Vix
 extremum egerat spiritum, cum illico Ca-
 stelli sancti Angeli Præfectus, qui Papæ
 defun-

Sæcul. XV.
A. C. 1404.

Niem. l. X.
cap. 24.

deiuuncto sanguine iunctus erat, Legatos Benedicti comprehendi, illosque insuperhabita, qua muniti erant, fide publica, carceri mancipari iubet, in eos temere culpam mortis Bonifacii conjiciens. Qui tamen instantibus Cardinalibus paulo post libertati restituti sunt, exsoluto, ut dicebatur, arcis Præfecto quinque aureorum millium pretio. Hi recuperata libertate Cardinales exorant, ut electionem, donec nova Benedicti consilia intellexissent, differrent, certissimum hoc pacem Ecclesiæ restituendi medium fore asseverantes. Cum autem Oratores isti, ut Benedicti nomine Papatu cederent, nulla auctoritate instructi essent, nil ipsorum deferebatur precibus, maxime cum aliunde non parum suspecta haberetur eorum sinceritas. Quocirca Cardinales neglecta Legatorum petitione conclave ingrediuntur, ex quibus tamen novem duntaxat numerati sunt. Duo enim aberant, nempe Balthasar Cossa ipso illo tempore Legationis Bononiensis munia obiens, & Valentinus Cardinalis Quinqueecclesiensis Episcopus in Hungaria.

§. XXVI.

Sæcul. XV.
A.C. 1404.*Cardinales ingrediuntur Conclave pro eligendo successore.*

Novem illorum Cardinalium, qui pro electione Pontificis conclave ingressi fuerant, nomina sunt: Angelus Acciajulus, primum Florentinus, postea Ostiensis Episcopus, & Collegii Cardinalitii Decanus, ac Presbyter tituli S. Laurentii in Damaso; Franciscus Carbona patria Neapolitanus, Monopoli ejusdem regni urbis Episcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Sufannæ; Henricus de Minusolis Neapolitanus, Tusculi in Campania Romana Episcopus, & Presbyter Cardinalis tit. S. Athanassi; Cosmatus de Melioratis Sulmonensis Episcopus in regno Neapolis, Archiepiscopus Ravennas, & Cardinalis Presbyter tit. S. Crucis in Hierusalem, & Thesaurarius S. R. Ecclesiæ; Christophorus de Maronibus Ifernæ in regno Neapolis Episcopus, & Cardinalis Presbyter tit. S. Cyriaci; Antonius Cajetanus Romanus, Aquilejensis Patriarcha, & Cardinalis Presbyter tituli S. Cæcilie; Angelus de Summaripa Neapolitanus Laudi in Longobardia Episcopus, & Cardinalis Presbyter tit. S. Pudentiænæ. Raynaldus de Brancaciis Cardina-

Sæcul. XV. A.C. 1404. lis Diaconus tit. S. Viti. Landulphus
de Maramaris, seu Maramauro Neapolitanus, Barenfis Archiepiscopus & tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis Diaconus.

§. XXVII.

Juramentum a Cardinalibus ante electionem præstitum.

Spicil.tom.
VI. p. 169.

Itaque Cardinales isti conclave ingressi, antequam ad ipsam electionem procederent, coram Notariis, & testibus juramento se obstrinxerunt, quod quilibet eorum, si eum in Papam eligi contingeret, pro restituenda Ecclesiæ unitate Papatu cedere velit, si Benedictus quoque juri suo renunciaret; nullusve eorum unquam ab hoc jurejurando absolutionem petiturus esset, nec eandem acceptaturus. Quibus insuper addebant, quod ille, qui ab eis in Pontificem assumeretur, neminem ab hac jurata fide absolvere vellet, & denique quod Cardinales absentes, aut si forte novi postea a Neo-electo Pontifice crearentur, ante omnia simile præstarent juramentum.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1404.*Electio Innocentii VII Papæ.*

Cardinales hac ratione futuris malis prospicientes unanimi suffragiorum consensu die decima septima Septembris eligunt Cosmam seu Cosmatum de Melioratis Ravennatem Archiepiscopum, antea Cardinalem Bononiensem dictum, eoquod ad Archiepiscopatum hujus urbis promotus, quamvis nunquam illius possessionem adierit, semper tamen ad hanc Ecclesiam jus sibi reservatum voluerit. Hic nuncupatus est Innocentius VII. interim Benedictus & Carolus VI Galliarum Rex comperta Bonifacii Prædecessoris morte ad Cardinales Romanos direxerunt epistolas, rogantes, ut antequam ad novam electionem procederent, suos expectarent Oratores. Verum harum literarum adventum jam prævenerat novi Pontificis electio. Historici Papæ hujus scientiam, morumque integritatem multis deprædicant, Sacrorum Canonum peritia clarus, & in Curia Romanæ negotiis longe expertissimus erat. *Iste Pontifex, inquit Theodoricus Niemus, fuit mitis, benignus, & compatiens afflictis, nec erat aliqua superbia in eo, neque apud ipsum acceptio personarum, neque cupidus seu avarus exsistebat, simoniacos exosos habuit.*

*Niem. de schism. l. 2.**c. 39. Gobel. Person. in Cosmod. art. 6. c. 88.*

Secul. XV. A. C. 1404. *buit.* Ipsi cetera laudatissimo id vitio u-
nice datum est, quod aliquantulum ni-
mia propensione sanguine sibi junctos pro-
sequeretur, idemque Author mox alle-
gatus observat, eum semel in Papam
electum ab amplectenda cessionis via,
prout tamen in Conclavi promiserat, a-
lienum monstrasse animum. Die Domi-
nica secunda Novembris solemnibus suæ
inaugurationis insignia recepit.

§. XXIX.

*Diffidia inter Gibellinos, &
Guelfos.*

Pontificatus sui primordia non modicis
tumultibus divexabat Gibellinorum
factio; Hi enim Joannis & Nicolai, Prin-
cipum de Columna auctoritate & poten-
tia fulti omnem moverunt lapidem, ut
duodenarum urbis Romanæ regionum
Præfectis, qui Duces vexiliferi a proprio
cujusque vexillo nuncupabantur, totius
Civitatis regimen restitueretur, quod ipsis
Romani eripuerant, illud in Bonifacium
transferentes; eoquod nisi Papa urbis
regendæ auctoritate polleret, haud tuto
Romam redire potuisset. Itaque Gi-
bellini Romanam urbem in libertatem as-
ferturi, ejus supremum imperium Ma-
gistratibus a populo nominandis restitui
petie-

petierunt, antiquæ inhærentes regiminis Sæcul. XV.
 formæ, antequam summa rerum cedere- A. C. 1404.
 tur Bonifacio. Econtra vero com-
 muni civitatis bono longe magis con-
 sultum esse affirmabant Guelfi, si Ec-
 clesia, exclusis Civibus, supremum te-
 neret regiminis clavum; quare potenti
 Ursinorum præsidio nixi summam urbis
 administrationem Pontifici, ac sacræ Se-
 di fartam testamque conservare omnibus
 viribus adlaborabant. Ex hac animo-
 rum dissensione exarsit bellum, cujus ta-
 men flammæ Ladislai Neapolitani Regis
 auctoritate, quem Gibellini in auxilium
 advocarunt, non nihil sopitæ fuerunt.

§. XXX.

*Pacis conditiones Papam inter &
populum.*

Innocentius decimo post electionem die
 inducias cum Romanis iniit, ac mutua Antonin. tit.
 inter eos conventionem sancitum est: 22. cap. 4. *Ut* Niem. cap.
*Senator urbis Romane per summum Pon- 43. n. 33.
tificem eligi, ac deputari debeat semper, &
possit, qui habeat omnimodam jurisdictio-
nem, præterquam in factis & negotiis
præfecti Pontificis & Ecclesiæ, ac crimi-
na læsæ Majestatis concernentibus: de ce-
tero eligantur septem Officiales Urbis Ro-
manæ, qui nominentur Governatores almæ
 C. 5 *Urbis,**

Sæcul. XV. A.C. 1404. *Urbis, quique ad præsens in dicti Pontificis præsentia eligi debeant, & in ejus manibus præstare juramentum, deinceps vero in præsentia Senatoris: officium eorum duret spatium duorum mensium: habeant facultatem duntaxat exigendi, & expendendi Reipublicæ Romanæ proventus, de aliis quibuscunque causis omni jurisdictione ipsi interdicta. Denique nec populus Romanus, nec Officiales quemcunque cum aliquo numero armatorum, aut aliquos nuncios Antipapæ, vel ei adherentium in urbem recipere, admittere, vel audire possint. Pax quidem hisce conditionibus firmata reddiit, sed haud diu admodum perduravit; nam Ladislaus Romanam urbem in suam potestatem redigere intentus, unice eo sua convertit studia, ut dissensionis flammam, quas extinguere sese simulabat, eo vehementius accenderet.*

§. XXXI.

Ladislaus ab Innocentio in possessione Regni Neapolis confirmatus.

Decret. Innoc. pro Ladisl. apud Raynald.

Neo-electus Pontifex non minus Regis hujus potentiam veritus, quam in ejus amicitia plurimum præsidii collocans, in illius favorem authenticum confecit instrumentum, vi cujus sane de pace Ecclesiæ reddenda conclamatum esse crede-

credebatur; * Nam Ladislaum suspicione, qua ipsum Ludovico Andegavensi patrocinatorum metuebat, liberaturus undecima Novembris die Decretum, sive Bullam edidit, declaravitque, nec se, nec suos Cardinales de restituenda Ecclesiæ unione ulterius acturos, nisi prius de utriusque partis consensu Ladislaus Rex in plena, ac pacifica Regni Neapolis possessione decerneretur, prohibitis omnibus adversus eum quovis pacto attentandis. Sane hæc provisio Ladislao admodum necessaria erat, timebat enim, ne Galli, constituta semel Ecclesiarum concordia, iterum in Italiam penetrarent, ut Ludovicum Andegavensem in pristinam Regni Neapolitani possessionem inducerent. Cum autem Pontifex hac sua Apostolica functione Ludovici jura palam infringeret, facile prævideri poterat, nec Gallos, nec Galliarum Cardinales unquam talibus concordiarum legibus consenturos. Ex quibus haud temere asseveramus, Innocentium Papam existimasse, a se Cardinalem Bonnoniensem a juramento in Conclavi præstito, dummodo fideles exempli pravitate non offenderentur, absolvi posse.

Sæcul. XV.
A.C. 1404.

Sæcul. XV.
A. C. 1404.

§. XXXII.

*Innocentii Epistolæ ad Principes, &
suae obedientiæ Prælatos.*

Interea temporis Innocentius ut totam Europam de traditis sibi universæ Ecclesiæ gubernaculis certiolem faceret, encyclicas expedit literas ad omnes Archiepiscopos, atque obedientiæ suæ Præfules, necnon ad suarum Provinciarum Clericos, hortans eos, ut vel Romam venire, vel saltem idoneos Viros ad Concilium Generale prima Novembris die anno sequenti celebrandum mittere, & ad extirpandum schisma omnia sua studia convertere velint. Epistola hæc vigesima septima Decembris ejusdem anni millesimi quadringentesimi quarti data legitur. Eadem quoque vota sua exponebat Regibus, & Principibus obedientiæ suæ addictis, quinimo nequidem Benedicto Pontifici epistolam scribere intermisit, in qua ardentissimum suum recuperandæ pacis desiderium palam fecit.

§. XXXIII.

Ducis Burgundiæ obitus.

Eodem hoc anno millesimo quadringentesimo quarto die vigesima septima
Aprilis

Aprilis Halæ in Brabantia ad D. Virginis, Sæcul. XV.
 animam reddidit Burgundiæ Dux, Bene- A. C. 1404.
 dicto parum affectus. Cor ejus transla-
 tum est ad Ecclesiam S. Dionysii, cada-
 ver autem repositum quiescit in Divio-
 nensi Carthusia, quam ipse suis impen-
 sis magnifice extruxerat. Quamvis Prin-
 ceptus iste ex ditionibus suis ingentem pec-
 unia vim collegerit, nihilominus immo-
 derato suo luxu, & immensis omni tem-
 pore profusis sumptibus ad tantam reda-
 ctus est inopiam, ut Conjux superstes
 communioni bonorum renunciaret, atque
 cincturam suam cum clavibus & mar-
 supio, Mariti sarcophago imponeret. Dux
 tres Filios, & quatuor reliquit Filias:
 Ex quibus Joanni natu Majori Ducatus
 & Comitatus Burgundiæ, Flandria, &
 Comitatus Atrebatensis cesserunt; An-
 tonius, Brabantia, & Limburgi Dux
 renuntiatus est; Philippo demum Comi-
 tatus Niverniensis, & Rethalensis adju-
 dicati. Ex quatuor vero Filiabus Mar-
 garita matrimonio juncta fuerat Filio pri-
 mogenito Alberti Bavariæ Ducis, secun-
 do nata nupsit Amadæo VIII Sabaudia
 Duci, quem postea Synodus Basileensis
 ad Pontificiam dignitatem, sub nomine
 Felicis V, evexit. Catharinam tertio ge-
 nitam Leopoldus IV Austriae Dux, &
 Tyrolis Comes sibi thalami sociam adle-
 git; denique quarta, Bona nomine,
 ante-

Sæcul. XV. antequam connubium iniret, morte præ-
 A.C. 1405. venta decessit.

§. XXXIV.

*Litteræ Innocentii ad Academiam
 Parisiensem.*

*Spicil. Da-
 cher. tom.
 VI pag. 171.*

Academia Parisiensis jam Mense No-
 vembri superioris anni binis literis ad
 Innocentium VII datis ipsum ad restau-
 randam Ecclesiæ pacem adhortata est,
 cui Papa die decima septima Februa-
 rii anno millesimo quadringentesimo
 quinto rescribens significat, se Concilium
 coacturum, in quo de optimis schisma
 extinguendi modis conferretur; eun-
 demque in finem jam sese ad Reges, Prin-
 cipes, & universos Europæ status en-
 cyclicas dedisse epistolas, quibus eos, ut
 ad futuram Synodum suos quoque Ora-
 tores ablegarent, monuisset. Quia vero
 Parisiensis universitas in suis ad Innocen-
 tium literis conquesta erat, quod Ro-
 mana Curia cessionis viam a Benedicti
 Legatis Bonifacio, ejusque Cardinalibus
 oblatam respuerit, Pontifex omnia in hac
 legatione gesta, necnon & horum Orato-
 rum ac Benedicti perfidiam ingenue in
 suis responsoriis exposuit, declaravitque,
 hos nunquam de cessione, sed solum-
 modo de mutuo quodam congressu egisse,
 quem

quem ipse omnino rejecisset, cum sibi per-
suasum haberet, ejusmodi colloquium
nil nisi solitum æmuli sui artificium esse,
quo omnibus illudere, ac inanes ad
frustrandum pacis negotium moras ne-
ctere studeret.

Sæcul. XV.
A.C. 1405.

§. XXXV.

*Innocentii excusatio de repulsa Legatis
Benedicti data.*

Insuper in eadem epistola exponit, Car-
dinales, antequam Conclave, ubi ele-
ctus esset, intrassent, ex Legatis ad Bo-
nifacium paucis ante ejus obitum diebus
a Benedicto missis, sciscitatos fuisse, u-
trum mandato ad cedendum Papatu a
Domino suo instructi essent? eisque a to-
to sacro Collegio fidem fuisse datam, se
in hoc casu ad novam electionem nulla-
tenus processuros; Legatis autem man-
dati defectum allegantibus demum Car-
dinales enixe petiisse, ut oratores ex suo
coetu aliquem ad Benedictum ablegarent,
cui cedendi auctoritas, per syngrapham
committeretur; cum vero Legati re-
spondissent, Benedictum ab ejusmodi ab-
dicatione omnino abhorreere, utpote æ-
quitati oppido contraria, Cardinales ele-
ctionem haud ultra differendam esse cen-
suisse. Tandem Innocentius Cardinales
suos,

Sæcul. XV.
A.C. 1405.

suos, cum Benedicti Legatos detinuisse insimularentur, defendendos suscepit, totamque culpam in ipsosmet coniecit Legatos & Castelli Præfectum, apud quem, licet incassum, pro eorum liberatione (vacante sacra sede) ipsi Cardinales egissent.

§. XXXVI.

Benedictus Papa iter in Italiam meditatur.

Antonin.
part. 3. tit.
22. c. 4.

Omnes istæ Benedicti Papæ fraudes hoc pacto detectæ, grave rebus suis intulerunt dispendium; Qui tamen desperatæ causæ opportunum quærens remedium, ubique jactitabat, sibi nil antiquius esse pace Ecclesiæ reddenda, atque eo fine se ipsum in Italiam profecturum, ut Innocentium, quem tanquam Sedis Apostolicæ invasorem criminabatur, ad amplectendam quoque unionis viam per-moveret.

§. XXXVII.

Obtinet decimas de bonis Cleri Gallicani.

Monach.
S. Dionys.
l. 25. c. 1. § 2.

Speciosa hæc promissio delusit plurimos, & Benedictus ad hujus itineris expensas de cunctis Cleri Gallicani bonis decimas, seu decimum exigendi nummum facultatem obtinet, quam etiam super

per cetera aliarum obedientiæ suæ Ec-
clesiarum bona extendit, designans duos, Sæcul. XV.
A.C. 1405.
qui hæc decimas colligerent, Episcopos,
Toletanum ipsius Nepotem, & alterum,
quem nonnulli Leitorensem in Vasconia
fuisse autumant: hanc rem Parisiensis
Universitas, quamvis ipsa sicut & non-
nullæ aliæ ab hoc onere immunes essent,
admodum moleste tulit. Interim Bene-
dictus iter Genuam aggressus est, illo au-
tem viam suam prosequente quædam
Romæ contigerant, quæ omnino hic re-
censenda veniunt.

Dux Bituricensis Innocentii dictis fi-
dem adhibens, mittit ad eum Oratores u-
na cum epistolis, quibus Pontificem ad
procurandam Ecclesiæ unionem verbis
oppido gravibus incitaverat. Innocen-
tius haud segnius ardentissimum pacis
studium in suis demonstrabat responsis,
& cuncta, quæ Universitati Parisiensi cir-
ca Benedicti Legatos ad Bonifacium mis-
sos exposuerat, iterato confirmabat: I-
dem quoque ad Episcopos Florentinum,
& Fesulanum, necnon ad alios duos Do-
ctores rescribit, remisso tamen semper
toto negotio ad futurum Concilium, quod
ad diem festum Omnium Sanctorum in-
dixerat. Ceterum neque istud ad extin-
quendum schisma idoneum erat medium,
partim quod locus, in quo haberetur, su-
spectus esset, partim quod ipsum Con-
cilium

Hist. Eccles. Tom. XXV.

D ciliu

Sæcul. XV.
A C. 1405. cilium nonnisi ex folis obedientiæ suæ
addictis fuisset congregandum: quapro-
pter non pauci sinceram Pontificis inten-
tionem in dubium vocarunt.

§. XXXVIII.

*Innocentius Papa undecim creat
Cardinales.*

Raynald.
num. 7.

Innocentius ad augendum sui Collegii
numerum die duodecima Junii unde-
cim creavit Cardinales, scilicet octo Pres-
byteros, & tres Diaconos. Quorum
primus erat Conradus Caracciolus pa-
tria Neapolitanus, Episcopus Melitenfis
tituli S. Chrysogoni, summus Pontificii
ærarum Præfectus; Alter, Angelus Cora-
rius nobilis Venetus, titulo tenus Pa-
triarcha Constantinopolitanus; Tertius,
Franciscus Archiepiscopus Burdegalenfis
Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum;
Quartus, Jordanus Ursinus Archiepisco-
pus Neapolitanus; Quintus, Joannes Me-
lioratus, Pontificis Nepos & Ravennas
Archiepiscopus; Sextus Petrus Creten-
sis Archiepiscopus Mediolanensis, qui as-
sumpto Alexandri V nomine postea Pon-
tificatum gessit; Septimus, Antonius
de Arcionibus Episcopus Asculanus, Car-
dinalis tituli S. Petri ad vincula; Octa-
vus, Antonius de Calvis Romanus, E-
pisco-

piscopus Tudertinus, qui titulum S. Præ-
 xedis optavit. Hi omnes octo fuere
 Presbyteri. Tres autem illi Cardinales
 Diaconi vocabantur: Otho Columna, qui
 ad Pontificatum euectus Martinus V. ap-
 pellatus est. Petrus Hannibaldus pa-
 tria Romanus tit. S. Angeli, & Joannes
 Ægidius Normannus Parisiensis Eccle-
 siæ Chori Præfectus, & tunc Præposi-
 tus Leodiensis, ad titulum SS. Cosmæ
 & Damiani vocatus. Ex omnibus hisce
 Pontifex quinque patria Romanos di-
 gnitate Cardinalitia consulto exornavit,
 ut sibi Romanum populum hoc beneficio
 devinciret. Sed sua illum spes fefellit.

Sæcul. XV.

A C. 1405.

§. XXXIX.

Romæ Gibellinorum factio.

Præter Senatorem a Pontifice ad re-
 gendam Romanam urbem electum
 adhuc septem alios Officiales seu Judices
 designatos fuisse, jam supra memoravi-
 mus. Hi quidem glorioso *Prudentum*
 nomine insignes erant: ast gestorum suo-
 rum splendore hunc titulum condecora-
 re parum curabant. Clandestinis enim
 Ladislai, quem Romanæ urbis potiundæ
 cupiditas vehementer stimulabat, sollici-
 tationibus accensi, varia contra pacti fi-
 dem consilia adversus Pontificem moliti
 sunt. Præterea Joannes de Columna

D 2

Gibelli-

Sæcul. XV. A. C. 1405. Gibellinorum Princeps copias Romanæ Urbi circumfusas habebat; Papa e contra arcem sancti Angeli valido præsidio munitam tenebat; hinc in singulos ferme dies non sine multo sanguine, ac cæde velitares conferebantur pugnae, undique locis ingenti strage repletis. Quo comperto Pontifex pacifici, ac mitis genii Vir incredibili afficiebatur dolore. Ergo summa mansuetudine furentium corda emollire, eisque in omnibus complacere tentat, sed incassum; *Prudentes* enim, ut vocabant, nunquam a suis, etsi æquitati tantopere contrariis, atque iniquis postulationibus quicquam remittere cogitabant, proterviæ suæ patrocínio in Ladislai potentia collocato, qui licet Innocentii partes tueri simularet, cum illis tamen secreta communicabat consilia, eosque auro corrumpere non dubitabat. Pontificis Nepos, nomine Ludovicus de Melioratis, Juvenis temerarius, atque ad quævis audenda projectus plurimum dolebat, Pontificem Patruum suum ab hisce Judicibus *prudentibus* adeo inique haberi.

§. XL.

Undecim Romani a Nepote Pontificis trucidati.

*Theod. de
Niem. l. 2.
c. 36.*

Cum quondam isti Judices cum aliis nonnullis Civibus Romanis a Pontificis

ficis colloquio, ubi oblatis quibusdam Sæcul. XV.
 conditionibus de concordia egerant, re A.C. 1405.
 infecta discederent, Melioratus undecim
 ex illis, quos inter duo erant Judices, a
 suis militibus comprehensos, illata vi ad
 se adduci imperat, & tandem in quod-
 dam cubile abstractos propria sua manu
 trucidat, atque eorum corpora penitus
 denudata e fenestris in plateam dejicit,
 ubi ad vesperam usque remanserunt. Ro-
 mani luctuoso hoc spectaculo impoten-
 ti furore agitantur; ipsi quoque Judi-
 ces, quos militum manibus fors eripue-
 rat, magis, magisque populum contra
 Papam, ejusque curiam concitant; Qua-
 re confestim crebro campanarum stre-
 pitu ad arma conclamant, factoque in
 Viros Ecclesiasticos impetu, nonnullos
 effræni rabie occidunt, alios vestibus di-
 laceratis nudant, eorum domos exspo-
 liant, & cuncta Cancellariæ regesta, ac
 tabulas diripiunt; præterea plurimi car-
 ceribus includuntur, & ipse Pontifex,
 insons quidem, atque execrandæ hujus
 cædis a Nepote suo perpetratæ omnino
 inscius erat, de propria tamen salute maxi-
 me anxius, furori cedendum ratus, cum
 Curialibus suis, qui eum sequi poterant,
 Roma auffugere statuit.

Sæcul. XV.
A.C. 1405.

§. XLI.

Innocentius Papa Viterbium fugit.

Raynald.
Contin. Ba-
ron. ad an-
num 1405.
n. 7.

Non sine gravi periculo, sole ad occa-
sum jamjam inclinante, Innocentius
Urbe elapsus est, & tandem post triduanum
iter Viterbium pervenit, ubi etiam tota
reliqua anni parte substitit. Hac Ponti-
ficis fuga Joannes de Columna opportu-
nam nactus occasionem Romam ingre-
ditur, simulque Pontificium occupat Pa-
latium, & summo in Urbem imperio u-
titur, adeo, ut per ironiam Joannes XX,
perinde ac si foret Pontifex, appellare-
tur. Cum vero haud diu quietam sibi
spondere posset urbis possessionem, La-
dislaum Regem in auxilium vocat, qui
quemdam Comitem (*) cum suo exer-
citu Romam ablegavit, dato negotio, ut
supremum urbis dominium ipsi vindi-
caret.

§. XLII.

Romani factionem Ladislai fugant.

Vid. infra
s. XLVI.

Verum Romani extrema quævis potius
sustinere parati, quam Regis potesta-
ti subjici, pro defensione libertatis suæ
tanta animorum constantia, ac virium ro-
bore

(*) Is erat Perretus Troyæ Comes.

bore decertabant, ut Capitolio obsidione Sæcul. XV.
 cincto, paulo post Columnnenses, totam- A.C. 1405.
 que Ladislai factionem urbe pellerent.
 Judices vero, utpote ob concivium suo-
 rum cædem graviter exulcerati ad Pa-
 pam, ejusque Nepotem acerbas admo-
 dum exarabant epistolas, & dejectis un-
 dique eorum insignibus, se Innocentium
 haud ultra tanquam Pontificem venera-
 tuos profitebantur.

§. XLIII.

*Benedictus Papa in Italiam profectus,
 Genuam venit.*

Dum in Italia hæc geruntur, Benedi-
 ctus Niceæ in Provincia conscensa Theod.
 navi, Mense Majo anno millesimo qua- Niem. l. 2.
 dringentesimo quinto Genuæ appulsus est. c. 28.
 Civitas hæc eo tempore sub Gallorum
 dominio constituta ab obedientia Inno-
 centii defecit, & suadente Pileo Mari-
 no suo Archiepiscopo, Bonifacii obsequio
 sese addixit. Respublica Pisana secuta
 est Genuensem, auctore Gabriele Maria
 Visconti, seu Vice-Comite, qui supremam
 hujus ditionis potestatem sibi arropa-
 bat. Benedictus Papa Genuæ a Bucic-
 aldo supremo militiæ Præfecto, atque
 a Civibus maximis honoribus excipie-
 batur. Verum in hac quoque urbe fini-

Sæcul. XV.
A.C. 1405.

*Juven. Ur-
sin. & Mo-
nach. S.
Dionys. in
hist. Ca-
roli VI.*

stræ fortunæ ludibria experiri debuit Pontifex, occasione nata ex militibus, quos secum adduxerat: aucto enim in dies eorum numero, Pontificis potentia Genuensibus suspecta fuit. Quare illi opportunum hæc copias recensendi locum obtendentes, illas dextere urbe extractas reditu intercluserunt. Ea re Benedictus haud parum commotus de injuria sibi illata graves ad senatum querelas deferebat. Ast Genuensibus a suscepto consilio nec latum unquam discedentibus Papa necessitati temporis cedere cogebatur.

§. XLIV.

Innocentius Benedicto saluum conductum denegat.

Niem loc. cit. Exiguo post tempore Benedictus simulatum unionis studium prosequi cupiens, Innocentium Papam exorat, ut novis suis Oratoribus, quibus plenam pacis cum eo componendæ auctoritatem tribuisset, literas publicæ fidei testes daret: Quas tamen Innocentius Viterbii adhuc hærens vel Benedicti calliditatem veritus, vel pactum inire e re sua non esse arbitratus, concedere recusavit. Lætus hac repulsa Benedictus, datis sine mora ad omnes Provincias literis, æmulum

mulum suum ubique schismatis fautorem sæcul. XV.
 proclamat; eo quod salvum conductum A.C. 1405.
 (ut vocant) denegando unionis nego-
 tium promovere palam detrectasset. In-
 nocentius hæc criminationes aliis longe
 prolixioribus epistolis refutaverat, atque
 eas dedita opera per totam Italiam spar-
 gi fecerat. Tali artificio ambo isti com-
 petitores nil nisi cessionis viam eludere,
 & quisque sibi Papalem Tiaram asserere
 studebant. (*) Innocentius, cum Syno-
 dum ad festum omnium Sanctorum in-
 dictam celebrari haud posse probe per-
 spexisset, Bullam Viterbii die vigesima
 Octobris datam evulgat, in qua tum tu-
 multus Roma excitatos, tum itinerum
 discrimina ad Concilium euntibus timen-
 da exponit. Quapropter primam Maji
 diem anni sequentis præfixit, quo junctis
 viribus extinguendo schismati adlabo-
 rarent.

§. XLV.

(*) *Ob denegatum Legatis salvum condu-
 ctum hoc vitium Innocentio perperam imputa-
 tur; perspectam enim Escenties expertam ha-
 buit Petri de Luna perfidiam. Sincera econtra
 Innocentii pro unitate Ecclesie Papatu cedendi
 voluntas manifesta fit ex Concilio hanc in rem
 indicto, quod quidem præter suam culpam se-
 mel impeditum, omnino tamen alio tempore cele-
 brari voluit.*

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

§. XLV.

*Discordiæ inter Duces Aurelianensem
& Burgundum.*

Monstrelet.
l. I. c. 25.

Sub idem ferme tempus Aurelianensis Dux, atque Regina ob arctam, quæ inter eos intercesserat, amicitiam sibi populi imò, & Principum invidiam conciliabant. Hinc Burgundiæ ac Britanniaë Duces indignabundi aula excedunt, sed quantocius convocato eam ob causam supremo Senatu redire iussi sunt. Regressus est quidem Burgundus; cum autem tam suæ, quam regionum liberorum, quibus Reginam, atque Aureliæ Ducem insidiari noverat, securitati consulturus, ingentem armatorum manum secum traxisset; ideo bellicus iste aspectus tantum utrique terrorem incussit, ut ipsi Melodunum auffugerent; Ludovico autem Bavaro Reginaë fratri negotium darent, Delphinum unacum Ducis Burgundi liberis ad castrum Pauliacum quantocius deduceret. Quo comperto Burgundiæ Dux, eos tanta celeritate insecutus est, ut Principem Delphinum Juvissii ex fuga interceptum Lutetiam Parisiorum secum reduceret. Inde acerbius inter Principes odium exarsit. Nihilominus dissensionis flammæ, Navarraë Regis ac Bourbonii

bonii Ducis opera, saltem ad tempus so- Sæcul. XV.
 pitas fuisse exinde constat, quod Aureliæ A.C. 1406.
 ac Burgundiæ Duces Parisiis mutuo se se
 recepissent amplexu, & reciproca fide si-
 bi amicitiam spondissent. Verum hæc
 reconciliatio nec diuturna, nec seria fuit.

§. XLVI.

*Innocentius Papa Romam revocatur,
 & redit.*

Romani servitutis a Rege Ladislao, ac Niem de
 Columnensibus sibi jamjam imminen- Schism. l. 2.
 tis periculo feliciter defuncti, Innocen- c. 39.
 tium VII Romam revocant, polliciti, se illi
 omnem Imperii Romani auctoritatem,
 prout ejus habebat Prædecessor, plene
 reddituros. Nuntium excepit Papa non
 sine ingenti gaudio, ac confestim Bar-
 tholomæum Episcopum Cremonensem,
 suumque Romæ Commissarium, ut Pon-
 tificis nomine Urbis possessionem cape-
 ret, ablegavit. Hujus mandati literæ
 datæ sunt Viterbii die vigesima septima
 Januarii anno millesimo quadringentesi-
 mo sexto. Postmodum Papa maximis
 honoribus, & sub festivis populi accla-
 mationibus circa medium mensem Mar-
 tium Romam ingressus est.

§. XLVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

§. XLVII.

*Excommunicatio in Ladislaum &
Columnenses lata.*

Raynald.
ad hunc ann.
n. 3.

Verum Papa nullatenus, quamdiu Ladislaus Columnensium potentia fultus, arcem sancti Angeli in sua servaret potestate, se tutum ratus, contra illos ejusque foederatos die decima octava Junii excommunicationis Bullam edidit, qua Ladislaum omnibus suis statibus, cunctisque juribus exspoliabat, adjectis gravissimis poenis, acerrimisque claufulis.

§. XLVIII.

Ladislaus reconciliatur Pontifici.

Ladislaus sacro fulmine territus, ac regno suo, necnon Campaniæ Præfectura spoliari metuens, pacem, pristinaque Pontificis gratiam exorat, quam etiam Paulo de Urfinis & Ludovico Meliorato Innocentii Nepote deprecatoribus obtinuit, hac tamen lege, ut arcem S. Angeli, & omnia ac singula Ecclesiæ bona prius ablata restitueret. Hujus foederis articuli utrinque firmati fuere tertia decima Aprilis. Insuper eodem tempore Papa Ladislaum Sedis Apostolicæ creabat vexiliferum, qui nihilo se-

cius

cuius tamen Ecclesiam in Pontificis Persona persequi non destitit.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

§. XLIX.

Cardinalis de Chalanto a Benedicto missus Legatus in Franciam.

Haud longas Genuæ moras traxit Benedictus; pestis enim ibidem exorta eundem Massiliam redire coegit. *Monach. S. Dionys. l. 6. c. 1.*
In hac eadem urbe nuntium accepit, Universitatis Parisiensis Oratores ad Innocentium decretos attulisse Bullam, qua Synodus ad mensem Majum indicetur, atque eandem Universitatem denovo adversus ipsum insurrexisse; simulque nuntiatum, Henricum III Castellæ Regem Legatos suos in Franciam destinasse, cessionis viam omni modo sollicituros, denique ad discutiendam subtractionis viam in Galliis Præsulum Comitia fuisse convocata. Cognitis his omnibus Benedictus Cardinalem de Chalanto Sabaudum Legatum a Latere in Franciam mittere statuit, qui impediret, ne Universitatis querelæ audirentur, nec Galli indictam ab Innocentio Synodum accederent. Cardinalis in Galliam delatus ægre admodum ad Regis alloquium admittebatur; palam enim dicebant quamplurimi, hunc Legatum eodunda-

Juvenal. Ursin. p. 179.

Sæcul. XV. duntaxat missum consilio, ut amplis suis
 A. C. 1406. promissis, quæ tamen Benedictus Domi-
 nus ejus nunquam præstare intenderet,
 inani ludificatione pacis negotium remo-
 retur.

§. L.

*Oratio Cardinalis in pleno confesso
 dicta.*

Tandem vero obtenta dicendi copia in
 pleno confesso legationis suæ argu-
 mentum exposuit, atque die vigesima nona
 Aprilis latinam declamavit orationem, sed
 nonnisi elumbem illam, atque insipidam,
 Benedictum enim usque ad sydera extu-
 lit, animum ejus ad Ecclesiæ unionem
 optime affectum jaçtitans, cunctaque ejus
 studia & labores pro bono Ecclesiæ ex-
 antlatos, præcipue vero iter in Italiam
 nuperrime amore pacis maximo cum in-
 commodo susceptum deprædicans. Dum
 econtra venditatis hujus meritis acerbius
 in Innocentium Papam invectus, eundem
 omni studio deprimere conabatur, tan-
 dem suo sermoni colophonem imponens,
 totum confessum obtestatur, ut, si schisma
 extinctum vellet, non nisi Benedicti
 partibus adhæreret.

§. LI.

§. LI.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

*Joannes Parvus nomine Universitatis
respondet.*

Cardinalis Legati verba tam exigui cre-
debantur momenti, ac ponderis, ut
ea publico responso excipiendi Univer-
sitas ægre admodum veniam a Rege
obtinuerit; qua tamen data die decima
septima Maji Academiæ nomine Joan-
nes Parvus Ordinis S. Francisci Alumnus
Parisiensis Doctor in præsentia Princi-
pum orationem habuit, & refutatis o-
mnibus, quæ Cardinalis de Chalanto pro-
posuerat, totam rei summam ad tres
revocavit articulos. I. Universitatis To-
losanæ Epistolam, quam contra cessionis
viam confecisset, tanquam Regi ac regno
injuriosam, esse damnandam. II. Eccle-
siam Gallicanam ab exactiõibus, quibus
Benedictus eam opprimere cæpisset, ex-
onerandam esse. III. Subtractionem o-
bedientiæ, prout antehac factum fuisset,
denuo innovandam. Circa secundum
Articulum ultro, citroque acriter discepta-
tum est; in hoc enim confessu non pauci,
quibus etiam non modica pars auri ex
Francia extorti per Benedictum obvenerat,
numerabantur; quocirca ut semoto
partium studio dijudicaretur causa,
Princi-

*Hist. Uni-
vers. Paris.
tom. IV.
pag. 120.*

*Monach.
S. Dionys.
l. 26. c. I. 2.
& 3.*

Sæcul. XV. Principes totum negotium ad supremum
A.C. 1406. Senatū deferunt.

§. LII.

*Sententia Senatus contra Tolosanæ
 Academicæ epistolam.*

*Bochel. in
 Decret. Ec-
 cles. Gallic.
 l. 4. tit. 21.
 c. 41.*

*Clemangis
 in fasciculo
 verum.*

Ergo causa in Senatu agi cæpit die quinta Junii, perorantibus Petro Plauto Theologiæ Professore, & Joanne Parvo, de quo mox diximus. Horum primus in Tolosanæ Academicæ epistolam, quæ obedientiæ subtractioni impietatis notam inusserat, acriter declamavit. Alter vero exaggeratis omni ratione vexationibus, quibus Ecclesia opprimeretur, tandem obedientiam esse subtrahendam conclusit, dixitque, hac prætermissa via de restauranda Ecclesiarum unione conclamatum esse. Verum eo ipso die totius negotii ratio suspensa hæsit, sequenti vero, id est, sexta Junii, Joannes Juvenalis Ursinus Advocatus Regius sententiam suam edixit, nempe Tolosanæ Universitatis epistolam tanquam ridiculam, mordacem, Regique injuriosam omnino dilacerandam, atque ejus Auctores velut reos læsæ Majestatis puniendos. Postulabat insuper, ut Benedicto denegaretur obedientia, quod ille conditionem, sub qua reddita esset, scilicet cessio-

nem,

nem, licet ab eo promissam, non adim-
 plesset. Diu multumque ea res agitata
 est, tandem vero nonnisi Tolosanæ Aca-
 demix causâ definita fuit, ejusque epi-
 stola per sententiam die decima septima
 Julii emanatam Tolosæ & Avenione pu-
 blice dilacerata est, salva insuper manen-
 te Procuratori Generali in ejusdem quo-
 que Auctores animadvertendi facultate.
 Quibus peractis Cardinalis Legatus
 hoc tribunal Pontificis sui postulatis mi-
 nus propitium advertens discessit, &
 quam citissime Massiliam ad Benedictum
 reversus est.

Sæcul. XV.
 A.C. 1406.

§. LIII.

*Alia sententia de subtractione
 obedientix.*

Alterum Senatus Decretum nonnisi un-
 decima Septembris die editum fuit,
 quod Parisiensis Universitatis Historia
 tomo quinto integrum recitat. In eo
 prohibetur, ne Quæstoribus Papæ dein-
 ceptis quicquam solveretur, aut argentum
 vel aurum ad ejus Curiam transferretur,
 item declaratur, quod Benedictus haud
 amplius exigere valeat annatas fructuum,
 procurationum, & aliarum obventionum
 a Prælaturis, atque aliis quibuscunque
 Beneficiis tam antea, quam modo vacan-
 tibus,

Monach.
 S. Dionys.
 l. 26. cap. 2.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXV.

E tibus,

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

tibus, vel in posterum vacaturis præstandas. Tandem sancitur, quod qui ob memorata onera non soluta, excommunicationis sententia percussi essent, ab ea absoluti censerentur, donec aliter provisum fuerit. De generali autem obedientiæ subtractione eodem edicto statutum fuit, hujus Articuli definitionem usque ad festum Omnium Sanctorum remittendam esse, ut in Generalibus Cleri Gallicani comitiis, ad quæ omnes Franciæ Prælati convocandi essent, ultimata sententia proferretur.

§. LIV.

*Subtractionis sententia Parisiis in
Comitiis Generalibus promul-
gata.*

Hæc Comitia ad diem festum S. Martini auctoritate Regis indicta, & præsentibus Carolo VI, Delphino, Principibus, Coronæ Officialibus, totoque supremo Senatu, omnibusque Præsulibus, qui jam antea Parisios confluerant, in Palatio regio celebrata fuere.

Duodecim denominabantur Doctores ultro citroque peroraturi, sex, qui Benedicti causam agerent contra subtractionem, & sex alii, qui pro Universitate dicerent adversus Benedictum. Hujus Pontif-

Pontificis Advocati erant Amelius Du
 Brellius Archiepiscopus Turonensis, Pe-
 trus de Alliaco Cameracensis Episcopus,
 Guilielmus de Philastro Rhemensis De-
 canus postea Cardinalis. Qui vero Uni-
 versitatis causæ patrocinantur, erant
 Simon Cramaudus Patriarcha Alexan-
 drinus, Petrus Regis, vulgo *le Roye* di-
 ctus, Montis sancti Michaelis Abbas,
 Petrus ad Boves Franciscanus, Theolo-
 giæ Doctor, Petrus Plautus, & Joan-
 nes Parvus pariter Doctores. Ad cal-
 cem Historiæ Concilii Constantiensis a
 Bourgesio de Chatenet conscriptæ, &
 anno millesimo septingentesimo decimo
 octavo Parisiensibus literis excusæ le-
 guntur ferme omnes Orationes tunc tem-
 poris Gallico idiomate habitæ, quibus
 eas perlegere vacabit, illas nonnisi vano
 verborum apparatu, insulsis, & a scopo
 longe aberrantibus similitudinibus refer-
 tas comperient; Verbo, ut inquit, Ab-
 bas Fleurius, *orationes istæ verbis mul-
 tis pauca admodum comprehendunt ratio-
 num momenta*; unicum horum exem-
 plum proferre juvat. Petrus ad Boves
 dictus, ceterorum primus hocce modo
 perorabat. Nihil omnino nec de idiomate,
 nec de orthographia immutabimus.

saecul. XV.
 A. C. 1406.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

§. LV.

*Oratio Petri ad Boves dicti in hoc
confessu habita. (*)*

*Hist. Uni-
vers. Pari-
siens. tom. V.
pag. 120.*

„ Je vous dirai, mes chers Seigneurs,
„ J pourquoy j'ai ceci mis en avant. Par
„ ce cercle nomé *Halo*, que l'on voit en-
„ tour le corps du Ciel, je entends ce
„ scisme ; car pour la grande similitu-
„ de, que je voi, qu'ils ont l'un a l'autre,
„ & en la fourme de leur figure, qui
„ est spherique, & circulaire . . . He-
„ las ! le scisme present n'a-t-il pas
„ bien fourme d'un cercle, ou l'on ne
„ trouve ne fin, ne issue ? Plusieurs ont
„ été autres Scismes ; mais ce ne fu-
„ rent que demi cercles : ce n'étoient,
„ que lignes droites, où on trouvoit
„ tantot le but, & les mettoit-on en
„ leur affin. Mais en ce schisme present
„ nous ne trouvons ne fonds, ne rive . . .
„ Si les parties de la circonference
„ touchoient au point du milieu, le cer-
„ cle seroit despecié. Ainsy semble-t-il
„ des deux Seigneurs, desquels depend
„ cette besogne. Trop bien demeurent
„ entour

(*) *Ut lector Gallici idiomatis peritus per-
spiciat, quam inconcinna fuerit Petri oratio,
eandem integram huc referimus.*

„ entour le milieu de la raison, entour ^{Sæcul. XV.}
 „ le point de union. Qui est le milieu ^{A.C. 1496.}
 „ de la raison? Qui est le point de u-
 „ nion? C'est le point de cession. C'est
 „ le moïen plus raisonnable, & le point
 „ plus expedient pour venir tost à u-
 „ nion. Entour le point trop bien tour-
 „ nent, querents alibi forains. Ambi-
 „ tion de presider & convoitise de pos-
 „ seder c'est le vent figuré en Job. &c.

Orationis versio linguæ Gallicæ vi-
tio accommodata.

„ **D**icam vobis, amantissimi Domini,
 „ quare ista ante omnia dixerim.
 „ Nam per hunc circulum, qui *Halo* di-
 „ citur, & quem circum circa coeli cor-
 „ pus videmus, præsens schisma intelli-
 „ go, quippe ob maximam suam affini-
 „ tatem, quam inter se habere depre-
 „ hendo, & propter formam suæ figuræ,
 „ quæ sphærica, & circularis est . . .
 „ Eheu! Schisma hoc, nonne æque ex
 „ circulo, in quo nec finis nec exitus
 „ habetur, formatum est? Plura alia da-
 „ bantur Schismata, sed hæc nonnisi semi
 „ circuli erant, duntaxat lineæ rectæ
 „ erant, in quibus aliquando terminus
 „ reperiebatur, & quæ ad suum finem
 „ ducebantur. Verum in Schismate
 „ præsentis nec fundum nec ripam inve-

E 3 „ nimus

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

„ nimus Si circumferentiæ par-
„ tes punctum medii attingerent, circu-
„ lus esset divisus. Idem videmus in
„ hisce duobus contendentibus, a quibus
„ tota dependet præsens calamitas. O-
„ ptime morarentur circa punctum ra-
„ tionis, circa punctum unionis. Quod-
„ nam est illud punctum rationis? quid
„ est punctum unionis? Est punctum
„ cessionis. Hoc est medium omnium
„ prudentissimum, & punctum ad conse-
„ quendam brevi unionem, vel maxime
„ expediens. Nimium circum circa hoc
„ punctum volvuntur, qui tergiversatio-
„ nes quærunt. Præsidendi Ambitio,
„ & possidendi cupiditas, istæ, istæ sunt
„ ille ventus in Jobo figuratus &c.

Hisce non minus insulis, quam jeju-
nis locutionibus, absurdisque flosculis
conspersam iste Doctor declamavit oratio-
nem, quam tandem absolvit, Benedictum,
& Innocentium contumeliosis juxta ac
mordacissimis verbis omnium, quæ re-
tulerat, malorum Auctores denunciatis.
Finito hoc sermone Joannes Parvus summ-
tam in hac, quam in proxima sessione
auspicatus est.

Ambos hosce Doctores die Sabbati
ante Dominicam primam Adventus Si-
mon Cramaudus excepit, demonstrans,
Pontifices ad conservandam Ecclesiæ u-
nionem

nionem constitutos esse; proin rejicien-
 dos, qui, exemplo utriusque hujus Com-
 petitoris, non solum illam promovere ne-
 gligerent, sed etiam eandem turbarent,
 ac funditus everterent, additque, ex u-
 triusque obedientia Oecumenicum con-
 vocandum esse Concilium, in quo decer-
 neretur, neutri Pontifici obedientiam
 præstandam esse. Postea quædam, qui-
 bus Ecclesia durante subtractionis tem-
 pore régeretur, subjecit mediâ, vi quo-
 rum I. Provincialia, atque ordinaria ce-
 lebrentur Concilia. II. Servetur appel-
 landi ordo ab Episcopis ad Archiepisco-
 pos, & ab illis ad Primate[m]. III. Sit
 minus frequens dispensationum usus, ut-
 pote quas rarius concedere, longe consul-
 tius fore existimabat. Absoluta hujus
 Præfulis oratione, Cancellarius eos, qui
 in favorem Benedicti dicturi aderant, in-
 terrogabat, utrum, quæ proferrent, habe-
 rent; his vero ultiores petentibus in-
 ducias proximam Mercurii diem præfi-
 xit.

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

§. LVI.

*Oratio Guilielmi Philasterii pro
 Benedicto.*

Præstituto die Guilielmus Philasterius
 Rhemensis Decanus præsentibus Re-
 ge, atque Principibus pro Benedicto per-
 orabat.

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

orabat. Ac primo quidem ostendit, nemini ex cunctis Nationibus hic congregatis competere auctoritatem Papam iudicandi, minus vero condemnandi; Dein multis deprædicavit pietatem Benedicti, generis nobilitatem, morumque integritatem, antequam purpuram induisset, quæ demum atque Pontificatu decoratus omnibus præfulsisset assiduo virtutum exercitio, præcipue ardentissimo procurandæ unionis studio. Tandem intulit, Benedictum (ut dicebat ipse) præstitisse plura, ac quidem sui muneris ratio exegisset, ideoque defectionem ab ejus obedientia eo magis injustam esse, quod sine omni adjecta conditione in ejus obedientiam Galli rediissent. Demum existimabat Philasterius, ejusmodi subtractionem non solum æquitati adversam, sed profus inutilem, scandalosam, ac periculis plenam esse, nec ullo pacto per eam Pontifici clavium potestatem auferri posse. Verum cum præfatus Doctor in sua oratione Galliarum Regem sceptrum suum Pontifici debere affirmaret, vel saltem id innuere videretur, adeoque ad extollendam Papæ auctoritatem, Regis dignitatem deprimeret, imo eidem lepræ poenam adducto Regis Oziæ exemplo tacite comminaretur, in Sessione die quarta Decembris habita, injuriam refarcire, culpam suam confiteri, ac petita teme-

temeritatis venia palinodiam canere Sæcul. XV.
 compellebatur. Eodem die Archiepif- A.C.1406.
 copus Turonensis, sed cum majori animi
 moderatione, ac minori verborum ve-
 hementia, quam paulo antea Philasterius
 pro Benedicto perorabat.

§. LVII.

*Petrus de Alliaco pariter pro Benedicto
 loquitur.*

Præterlapsis octo diebus, nimirum un-
 decima Decembris ejusdem Mensis
 Petrus de Alliaco Cameracensis Episco-
 pus, postmodum Cardinalis caussam Be-
 nedicti propugnaturus exedram conscen-
 dit. Satius longe fuisse affirmat, si to-
 tum negotium in confessu minus nu-
 merofo & mediante Legatorum opera
 pertractatum fuisset. Dein declarat, nul-
 latenus sibi in animo esse adversus cessio-
 nis viam declamare, quam non modo
 bonam, sanctamque censeret, sed semper
 sibi probatam habuisset. Post hæc Uni-
 versitatem summis laudibus celebrat, Hist. Uni-
 vers. Paris.
 tom. V. p. 133
 quædam tamen illius membra in sermo-
 nibus suis, non nihil acerbioribus con-
 tra Pontificem indignationis motibus ef-
 ferbuiffe redarguit. Factis hisce præli-
 miraribus concludit, omnino necessarium
 esse, ut Concilium non quidem utrius-
 que

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

que obedientiæ Oecumenicum (cum tale haud permitterent præsentis rerum circumstantiæ) bene tamen Concilium ex obedientia Benedicti convocaretur, atque in eo opportune caperentur consilia pro celebranda utriusque obedientiæ Synodo, in qua unionis, ac reformationis Ecclesiæ negotium omni studio promoveretur. Cum vero Universitas Benedictum tanquam Schismaticum, & Patriarcha Alexandrinus illum velut hæreticum fugillissent, Petrus de Alliaco totam reliquam sermonis sui partem refellendis binis hisce accusationum capitibus impendit, concludens, missis omnibus rationibus, quas pro asserenda subtractionis via in medium protulissent, nihilominus Benedicto obedientiam nullo pacto denegandam esse. Oratio ista tantopere offendit Universitatem, ut conventum mox egerit de castigando Petro Alliacensi deliberatura. Hic vero provocavit ad Regem; Equidem Joannes Paryus Universitatis causam in se suscepit defendendam: prævaluit tamen Petri Alliacensis appellatio.

§. LVIII.

Oratio Abbatis montis S. Michaelis.

Satis itaque perspectis iis, quæ Advocati in defensionem Benedicti proposuerant.

rant, Caussidicis quoque Universitatis ^{sæcul. XV.}
dicendi facultas data est. Horum pri- ^{A.C. 1406.}
mus, qui peroravit, Petrus Regis, alias
le Roye dictus, Montis Sancti Michae-
lis Abbas fuit. Disserebat perquam co-
piose de Auctoritate Conciliorum Gene-
ralium supra Papam, de jure Ordinario-
rum in conferendis beneficiis, & de sum-
morum Pontificum exactionibus. Post-
modum sermonem suum ad ipsum Re-
gem convertens, illum ad extirpandos
hosce abusus, & ad strenue resistendum
Usurpatori, Ecclesiam bonis suis exspo-
lianti, adhortabatur. Tandem neminem
ob metum intentatæ excommunicatio-
nis turbandum asserebat, quia Schisma-
tico, atque hæretico Pontifici non modo
nulla obediendi obligatio, sed eidem ob-
sequi crimen foret. Postridie, atque e-
tiam die tertia Petrus Plautus Eccle-
siæ Parisiensis ad Beatam Virginem Ca-
nonicus sermonem habuit, ac postea-
quam in hosce duos Pontificiæ dignita-
tis Competitores invectus fuerat, tan-
dem subtractionis viam amplectendam
decidit, donec ad totalem schismatis ex-
tirpationem Concilium Generale convo-
cari posset. Idem summis laudibus ex-
tulit Regis auctoritatem, quam *potestati-
vum*, atque *auctoritativum* nuncupavit;
cum econtra Pontificiam re quidem i-
psa supremam, simul tamen ministeria-
lem

Sæcul. XV. lem esse dixisset. Quibus suam absol-
 A.C. 1406. vit orationem.

§. LIX.

*Refutatio a Philasterio Rhemensi
 Decano facta.*

Die sequenti sexta decima Decembris Rhemensis Decanus utrumque Abbatibus Montis S. Michaelis, & Petri Plauti orationem contrario diluit responso. Præprimis duplicem statuit potestatem, unam spiritualem, quam comparabat Soli, temporalem alteram, quam Lunæ similem dixerat; supponens, Christum utpote utraque insignitum utramque Divo Petro communicasse. Inde vero intulit, Pontifici dominium esse in bona temporalia Regum. Præmissa hac utriusque potestatis differentia, jurisdictionem earundem exponit, statuitque Regi integrum non esse, debitam summo Pontifici subtrahere obedientiam, cum nec Regi competeret eundem judicandi potestas: proin ad inducendam ejusmodi subtractionem requiri Synodum ab ipso met Pontifice convocandam, eoque Præsidente celebrandam, alias nullam fore: in tali Synodo Papam suo remittendum iudicio, & Principum auctoritate, si necessitas exigeret, ejusdem Synodi decreta

creta executioni mandanda, ac nemini ^{Sæcul. XV.}
 nisi huic ipsi Concilio competere potesta- ^{A C. 1406.}
 tem hanc dijudicandi quæstionem: U-
trum Benedictus sit Schismaticus vel non?
quamvis schismatis accusetur, nisi prius se-
cundum juris præscripta talis esse proba-
tus fuerit? Demum adstruit, præsentem
 confessum, atque illos omnes, ad quos
 sermonem suum dirigeret, legitimæ Sy-
 nodi vim non habere, cum illi potestate
 spirituali carerent, temporali vero in
 Conciliis locus haud esset. Inde Orator
 transit ad Pontificis potestatem in Bene-
 ficia, cujus prærogativam supra Concilia
 generalia nimium quantum extollit,

§. LX.

*Advocatus Generalis hisce comitiis
 finem imponit.*

Postridie Patriarcha Alexandrinus pro
 Universitatis sententia sermonem ha-
 buit, quem excepit Turonensis Archie-
 piscopus Pontificis causam defensurus,
 & tandem Joannes Parvus ejusdem U-
 niversitatis jura protecturus. Verum
 cum hi nec specialia nec nova afferrent,
 Joannes Ursinus Generalis Advocatus
 & illius Ursini Parens, qui posteris Caro-
 li VI Historiam descriptam reliquit, cele-
 brem hunc confessum suam proferendo
 sen-

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

sententiam absolvit. Orationis initium a jure convocandi concilia defumebat, quod penes Regem esse, pluribus etiam Historiæ Ecclesiasticæ monumentis comprobabat, & non minori vi pro jure eligendi Antistites Regi asserendo declamabat. "Olim, inquit, Romani Episcopi electio Ecclesiasticorum, ac Laicorum suffragiis perficiebatur; Ceteri Episcopi sunt illius Confratres, atque eodem, quo ille, electionis jure potuntur. His dictis petit, ut Ordinariis possessio jurisdictionis suæ facta, tectaque conservetur, & deinceps ab Episcopo ad Archiepiscopum, & ab illo ad Primatem appellatio interponatur, instatque, ut ad tuendam hanc Ecclesiæ disciplinam frequenter Provincialia convocentur Concilia. Tandem vero concludit, per Synodum modo congregatam Galliarum regno jam satis esse provisum, Regni Prælati consilium a Rege esse petendum, hunc vero posse eos congregare, talique Concilio, uti Imperator Imperio suo, præesse, denique Regem, cuncta, quæ publicæ utilitatis essent, intra Regni sui fines, adhibitis Academiæ consiliis, decernendi potestatem habere; de cetero in præsentî Concilio non agi de ultimo in Pontificem judicio, sed illud unice, ut Gallicanæ provisum sit Ecclesiæ, convocatum fuisse.

§. LXI.

§. LXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.*Prælatorum, atque Universitatis suffragia super ultimo confessus decreto.*

Cancellarius, absoluta Generalis Advocati oratione, nomine Principum (Rex quippe absens erat) solos Prælatos postera die ad eundem locum convenire jubet, ut suis suffragiis gravissimum hoc negotium ad exitum deducerent. Hi itaque omnes præstituta die totius causæ seriem referentes, communibus votis in eam abierunt sententiam, ad schisma penitus abolendum utriusque obedientiæ Synodum esse congregandam. Sed non idem omnibus placuit amplectendæ subtractionis consilium; Vicerunt tamen plurimorum suffragia illam decernentium, simulque statuentium, ut deinceps eo modo, quo tempore primæ subtractionis observatum fuisset, tam Ecclesia Gallicana regeretur, quam beneficia conferrentur. Quod decretum ut sua firmitate consisteret, Universitas omnia sententiæ suæ capita ad Concilium deferre jubebatur; cui rei residuam mensis partem dicabat.

*Hist. Univ. Paris. tom. V. p. 134**Gerson. tom. I. p. 20.*

§. LXII.

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

§. LXII.

Innocentii VII Papæ obitus.

Congregatus adhucdum erat Conventus Nationalis Gallorum, cum fama de morte Innocentii VII Lutetiam perferretur, qui sexta Novembris die anno restauratæ salutis millesimo quadringentesimo sexto apoplexia tactus mortalitatem exuisse dicebatur. Rumor quidem erat, illum propinato veneno extinctum esse. At Leonardus Aretinus, qui ejus fato præsens aderat, morte naturali Pontificem occubuisse in quadam Epistola ad Franciscum Cortonæ Principem in hanc rem scripta testatum reliquit. Extremum ergo diem clausit Romæ in Basilica Vaticana ætatis suæ circiter septuagesimo, secundo vero Pontificatus sui anno. Corpus ejus in eadem Ecclesia apparatu vere insigni terræ mandatum fuit. Galliarum Rex comperto Innocentii obitu vigesima tertia Decembris die, annuente Concilio, ad quatuordecim Cardinales Romæ residentes literas dedit, novi Pontificis electionem, ut differrent, rogans, pariterque significans, non minus se, quam totum Concilium, summa animi lætitia percepisse, eos, antequam ad ipsum pro exploranda sua mente Legatos misissent, ad novam electionem nullo modo

*Aretin. in
epist. ad
Franc.
Princ. Cort.*

*Gobellin.
p. 283.*

Niem. lib. 2.

modo progredi statuisse; Præterea scri-
 bebat, ex eo, quod Benedictus, emer-
 gente Competitoris sui morte, Papatu se ab-
 dicare jurato sponddisset, jam non modi-
 cam redintegrandæ pacis, quam tanto
 tempore frustra exoptasset, spem affulgere.
 Si vero, subjungit Rex, præter omnem
 nostram expectationem, ipse suam cessionem,
 vel differret, vel omnino recusaret,
 ipsimet Prælati nostri de certi Pontificis
 electione vobiscum communicabunt con-
 silia. Tandem hortatur, ut electione
 supersedeant, donec utrinque Oratores
 expediti fuissent. Verum hæc Regis e-
 pistola justo tardius advenerat.

Sæcul. XV;
 A.C. 1406.

§. LXIII.

*Cardinales Innocentio addicti Conclave
 ingrediuntur.*

Jamjam die octava Novembris Cardina-
 les, numero quatuordecim conclave *Niem. l. 3.
 cap. 2.*
 ingressi fuerant; horum vero nomina
 sunt, ut sequuntur: Cardinalis Angelus,
 patria Florentinus, Episcopus Ostiensis;
 Henricus Cardinalis Neapolitanus, Epis-
 copus Tusculanus; Cardinalis Antonius
 dictus Aquilejensis Prænestinus Episco-
 pus; Angelus Laudensis Cardinalis Pres-
 byter tit. S. Potentianæ; Conradus Car-
 dinalis, tit. S. Chrysogoni Melitenensis;
Hist. Eccles. Tom. XXV. F An-

Sæcul. XV. Angelus Cardinalis tit. S. Marci, dictus
A. C. 1406. Constantinopolitanus; Jordanus de Ur-
 finis Cardinalis tit. S. Martini; Joannes
 Ravennas tit. Sanctæ Crucis; Antonius
 Tudertinus Cardinalis tit. S. Praxedis;
 Raynaldus de Brancaciis Cardinalis Dia-
 conus S. Viti; Landolphus Barenfis tit.
 S. Nicolai; Cardinalis Otto de Columna
 S. Georgii, & tandem duo Cardinales,
 Leodienfes dicti, Petrus S. Angeli, &
 Joannes S. Cosmæ. Hi ante omnia ma-
 turo subiciebant examini, utrum atten-
 to præfenti Ecclesiæ ftatu alium Ponti-
 ficem in demortui locum fufficere expe-
 diret? fed fuffragantium animi in duas
 fecabantur fententias.

§. LXIV.

Opinionum varietas in hoc conclavi.

Horum nonnulli electionem differendam
 cenfebant, donec plenius conftaret,
 quibus mediis Gallia, quæ certiffimam
 extinguendi fchismatis viam propofuerat,
 uti decreverit, ut Benedictum, evenien-
 te æmuli fui obitu ad dimittendum Pon-
 tificatum urgeret, prout ipfus promife-
 rat. Si enim, inquiebant ifti, hoc ad
 exitum perveniret, ob fingulare Gallia-
 rum Regis ftudium, atque auctoritatem
 certo certius fperandum fore, jam o-
 mnibus in unum fenfum confpirantibus,
 talem,

talem, qui ab universo Orbe acceptaretur, Pontificem communibus suffragiis eligi posse. Alii ex adverso dicebant, non levia ex longiori electionis mora, timenda fore pericula, maxime, ne forte Romæ novi suscitarentur tumultus, Romanis, cum nullus interim Urbis gubernacula teneret, facile temporalem sibi auctoritatem denuo vindicaturis. Dein, Benedictum jam aliunde, insuperhabita fide toties data ad deponendum Papatum minime pronum, abs dubio hanc cunctationem in rem suam versurum, ac magis magisque animum in solita sua perversa obfirmaturum, certa spe fretum, quod, cum præter se ipsum nullus alius renuntiatus sit Pontifex, sensim totus orbis in sui obedientiam concessurus sit. In hac opinionum varietate, quid tandem conclusum fuerit, percipiamus.

§. LXV.

Conditiones, sub quibus Electio Pontificis decreta fuit.

Tandem Papam eligere statuunt, ea tamen lege, ut electus se non nisi velut Pontificii muneris Administratorem gereret, ac Papatu cederet. Ergo vigesima tertia Novembris in Conclavi publicas conficiunt tabulas, vi quarum singuli

*Theod. Niem
de schism.
lib. 3. cap. 1.*

F 2

Cardi-

Sæcul. XV. Cardinales tactis sacrosanctis Evangeliiis
A.C. 1406. jurarent, quemcunque eorum ad Pontificiam dignitatem assumi contingeret, eum juri suo, ac Papatui, libere, ac simpliciter renuntiaturum, si Antipapa pariter aut cederet, aut obiret, & utriusque obedientiæ Cardinales in unum communi sententia conspirarent: Si quis vero ex Cardinalibus absentibus assumere-
 tur, easdem omnino condiciones adimplere adstrictum fore; Necnon à Neoelecto Papa infra mensem a die inaugurationis suæ computandum, Antipapam, ejusque Cardinales, Imperatorem, Reges, Principes, Prælatos, Universitates, & totius Orbis Christiani Communitates de sua electione, atque præfatis conventis certiores reddendos, suisque epistolis significandum, infra tres Menses locum ad tractandam unionis causam idoneum communi consilio definiendum fore, ac se cessionem, atque omnem aliam rationi consonam viam amplecti paratum esse. (Hæc clausula ad impune eludendam cessionem consulto adjecta videtur) Præterea a novo Pontifice promittendum, se pendente unionis tractatu nullos creaturum Cardinales, nisi Cardinalium suo æmulo addictorum numerum coæquandi necessitas aliter suaderet. Tandem, se statim post suam electionem, ac coronationem, sicut etiam in primo publico Patrum

Patrum Senatu a se cogendo omnia al-
 tefata conventa solemni ritu confirma-
 turum, erecto desuper instrumento manu
 propria signando.

Sæcul. XV.
 A.C. 1406.

§. LXVI.

*Electio Angeli Corarii sub nomine
 Gregorii XII.*

Omnes Cardinales publicis hisce tabu-
 lis subscripserunt, & ad hanc formu-
 lam observandam juramento sese obstrin-
 xerunt. Ergo trigesima Novembris die
 in festivitate S. Martini uno animo, o-
 mniumque suffragiis Pontificem saluta-
 runt Angelum Corarium Nobilem Ve-
 netum, Patriarcham Constantinopolita-
 num, Presbyterum Cardinalem tituli S.
 Marci, septuagenario majorem, nonnulli
 eundem omnino octogesimum ætatis
 annum attigisse referunt; Gregorius XII
 nuncupari voluit. Hunc ipsum lauda-
 tam juramenti formulam summo procu-
 rasse studio historica testantur monumen-
 ta. Igitur in Conclavi statim peracta
 sui electione eadem pacta, atque jura-
 menta rata habuit, & præsentibus iis-
 dem Cardinalibus, omnibusque Præla-
 tis verba fecit, in quibus desiderium, quo
 Ecclesiam sub uno solo capite aduna-
 tam conspicerere ardentissime flagraret,

*Niem. lib. 3.
 cap. 12.*

*Arct. Ital.
 pag. 256.*

Sæcul XV.
A.C. 1406
tanta vi expressit, ut sua opera tandem schisma radicitus extirpatum iri, nemini ultra ambigendi locus superesse videretur. “ Ad quemcunque demum locum, „ inquebat, ubi unionem fieri oporteret, nulla mora me transferam, unice „ ut promissa mea adimpleturus ingens „ hoc negotium absolvam, & si forte il- „ luc per mare transire debeam, navigiis „ autem carerem, etiam parvæ cym- „ bæ me committam; si vero terre- „ stri itineri cetera quæque deessent, pedibus & baculo meo sustentatus ad „ perficiendam Ecclesiæ pacem pergam. Verum eventus hisce speciosis promissis neutiquam conveniebat.

§. LXVII.

*Ingenium & mores Gregorii XII
Papæ.*

Aubery hist.
Card. tom.
II. pag. 2.
Gregorium Historici præclaris celebrant elogiis. Omnes Ecclesiæ dignitatum gradus non sine ingenti laude pertransiit. Cum adhuc Venetorum Episcopus esset, a Bonifacio IX tanquam extraordinarius Legatus ad regnum Neapolis mittebatur, ut hujus regni Metropolim suo hortatu Ladislai imperio adjiceret; quo negotio sibi demandato feliciter perfunctum idem Papa creavit
Marchiæ

Marchiæ Anconitanæ Legatum, tandem Sæcul. XV.
A. C. 1406.
 vero ob eximia in Ecclesiam merita dignitate Cardinalitia decoravit, qua etiam ab Innocentio VII anno salutis millesimo quadringentesimo quinto donatus præfulsit. Ingenii sui aciem studio indefesso adeo feliciter exacuit, ut in Theologicis disciplinis peritissimus audiret, nec minus ob morum integritatem commendandus; nil officiorum ac dignitatum, quibus continuo fungebatur, periculis candorem vitæ suæ obfuscantibus. Indolis erat admodum mitis, & ad debitæ moderationis regulas compositæ, atque antequam ad supremum Pontificatus apicem ascenderet, ab omni ambitionis affectu valde alienus videbatur. Cardinales harum virtutum splendore plecti Gregorium ad supremum Pontificatum evexerunt, nequaquam dubitantes, quin quocumque demum tempore, si id pacis bonum exigeret, eundem relicturus, & ad revocandam Ecclesiæ unionem sine dolo collobaraturus esset.

§. LXVIII.

Epistolæ Gregorii ad Benedictum, ejusque Cardinales, Principes, Episcopos, & Academias.

Gregorius non aliter, ac ceteri Cardinales pacis negotium omnibus viribus

Niem. in nemore unionis pag. 196. tom. I. c. I.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

bus procurare ante suam electionem promiserat, & postea quoque ratihabuit; ut vero exequendæ suæ sponsonis prima jaceret fundamenta, ante ipsam suam inaugurationem ad Benedictum tunc temporis Massiliæ commorantem literas dedit, quibus communicato animi sui consilio declaravit, se nullatenus tergiversationibus, aut fallacibus artificiis Ecclesiam decepturum, quinimo, quo validiora juxta ac certiora sua essent jura, tanto laudabilius, atque securius sibi videri, si pro redintegrandâ Christianæ Reipublicæ concordia cunctis hisce cederet juribus; hinc paratissimum sese esse ad remuntiandum Papatui, dummodo pariter æmulus prætenso juri se abdicare voluerit; in hoc secuturum se exemplum veræ illius Matris, quæ proprium filium amittere, quam in partes secari præoptasset, quamvis illum suum esse, certissime sciret. Hæc Epistola Romæ die undecima Decembris anno Domini millesimo quadringentesimo sexto scripta, a quodam fratre Laico Ordinis S. Dominici ad Benedictum perlata est. Dedit quoque literas iisdem ferme sententiis conceptas ad Cardinales Benedicti, necnon Encyclicas ad omnes Principes, Prælatos, atque Universitates, contestans, se pro bono pacis Papatu libentissime cessurum, simulque hortatus, ut & ipsi, quantum

tum potentia, atque auctoritate valerent, Sæcul. XV. A. C. 1407.
 ad tam sanctum, tamque necessarium o-
 pus concurrerent.

§. LXIX.

*Subtractionis Decretum ab Ecclesia
 Gallicana editum & a Rege
 confirmatum.*

Cum interea Gregorius ejusmodi literis ad Ecclesiæ unionem, quam tantopere desiderare credebatur, universum excitasset orbem, die tertia Januarii anno millesimo quadringentesimo septimo Nationali Gallorum Concilio exhibentur Articuli ab Universitate Parisiensi in causa cessionis concepti. In illis ergo decretum fuit, quemlibet Pontificem, quotiescunque a Cardinalibus requisitus esset, ad amplectendam abdicationis viam teneri, si vero cedere disertis verbis recusaret, eundem tanquam perjurum, Deo & hominibus perfidum, de fide ac Religione perperam sentientem habendum esse, atque ut talem hæresis suspicionem incurrere, ejusdem incusari, & velut hæreticum declarari posse. Hosce articulos Universitas ad sex reducebat capita, ex quorum summa Ecclesia Gallicana Decretum condidit, quod Rex die septima Januarii ejusdem anni edicto

Sæcul. XV. confirmavit, declaravitque, pro reforma-
A. C. 1407. tione Ecclesiæ in suo Capite, ac membris
 Universale Concilium convocandum esse;
 & generalem obedienciæ subtractionem
 decernendam, ita tamen, ut nec Bene-
 dictus, nec Gregorius tanquam summi
 Pontifices colerentur; interea temporis
 Ecclesiam Gallicanam priscis suis usuram
 libertatibus, secundum juris communis
 præscripta, prout durante prima sub-
 tractione observatum, deinceps regen-
 dam. Omnibus ita absolutis solemnibus
 instituta est supplicatio, cui sexaginta sex
 Episcopi cum ingenti Abbatum numero
 intererant. Executio tamen præfati de-
 creti ad tempus suspensa permansit, in-
 genti rerum vicissitudine interim Ro-
 mæ suborta.

§. LXX.

*Epistola Benedicti ad Gregorium
 Papam.*

*Niem de
 Schism. l. 3.
 c. 13.*

Benedictus Epistola Gregorii vix acce-
 pta, confestim rescribit, & dilaudato
 sancto illius proposito constantiam com-
 mendat, declarans, se quoque haud se-
 gniori ac ipsum animi studio schismatis
 extinctionem peroptare, atque ad ac-
 celerandum hocce negotium se esse prom-
 ptissimum, ideoque ad eundem cum illo
 locum

locum utrique commodum brevi ventu- Sæcul. XV.
A.C. 1407.
rum, ac de unione Ecclesiæ acturum, i-
bidemque sub propositis conditionibus ju-
ri suo renuntiaturum. Tandem etiam
insinuat, se summo desiderio Gregorii Le-
gatos expectare, & hunc in finem iis-
dem securitatis literas transmittere.
Hæc Epistola data est Massiliæ apud S.
Victorem trigesima prima Januarii. Car-
dinales Gregorii literas unacum Bene-
dicti responsoriis ad Bituricum Ducem
mittunt, simulque suam adjiciunt episto-
lam, qua Ducem exorant, ne, cum semel
de mutuo utriusque Competitoris con-
gressu feliciter conventum esset, quic-
quam usque ad illud tempus vel in favo-
rem Gregorii, vel in odium Bonifacii de-
cerni pateretur.

§. LXXI.

Litteræ publicæ Galliarum Regis.

Carolus VI Galliarum Rex, comperta *Niem in
nem. unionis
pag. 203.*
utriusque Pontificis prompta ad ce-
dendum voluntate, edicti sui executio-
nem suspendit, atque legationem maxi-
me solemnem ad utrumque decernit.
Prius vero, quam id fieret, ad omnes
Christi fideles Regias expedivit literas,
quibus eosdem certiores reddidit, se ad
Benedictum & Gregorium utpote cessio-
nis viam amplectentes, suos missurum
Legat-

Sæcul. XV. Legatos, qui utrumque hunc Competi-
A. C. 1407. torem inducerent, ut eandem abdicatio-
 nem edita Bulla confirmarent, & post-
 modum duo Cardinalium Collegia in eo-
 dem loco ad novi Pontificis electionem
 ibidem instituendam convenire juberent.
 Si vero ad protelandum hocce negotium
 nova quæerent subterfugia, aut omnino
 cedere renuerent, tunc ex sententia ipsius
 Concilii se Gallicanæ Ecclesiæ præceptu-
 rum, ut omnes se ab illis tanquam schisma-
 ticus ab Ecclesiæ corpore abscissis separa-
 rent, nullamque ultra eis deferrent obe-
 dientiam. Denique Cardinales, qui sanio-
 rem partem secuti fuerint, unacum illis al-
 terius Collegii Patribus convenirent, unum
 electuri Pontificem. Si autem inter il-
 los dissensionis Zizania succrescerent,
 tunc legati regii pro viribus allaborarent,
 ut dissentientes cum saniore Cardinalium
 parte ad concordiam reducerentur. Hæc
 Epistola data legitur die decima octava
 Februarii anno Regni sui vigesimo se-
 ptimo.

§. LXXII.

*Regis ad utrumque Papam
 legatio.*

Itaque Rex legationem injungit Simoni
 Cramaudo Patriarchæ Alexandrino,
 Turo-

Turonensi Archiepiscopo, Cameracensi, ^{sæcul. XV.} Bellovacensi, Meldensi, Trecensi, & Ebroi- ^{A.C. 1407.} censi Episcopis; Sancti Dionysii, Gemeticensi, Montis S. Michaelis, Clarevallensi, & Divionensi ad S. Stephanum Abbatibus, item tribus Viris sæcularibus, & plusquam viginti Doctoribus, quos inter celeberrimus quoque Joannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius numerabatur. Hi omnes præprimis Benedictum tunc temporis Massiliæ commorantem accedunt, atque ab eo perbenigne excipiuntur; in itinere vero colloquuntur cum Gregorii Oratoribus, scilicet Antonio Bononiensi Episcopo, ejus Nepote, Episcopo Tudertino, & Antonio de Butrio Bononiensi Doctore, qui Aquis Sextiis agebant; ab illis intelligunt, tandem post plurimas disceptationes in Urbe Savona in Liguria, quæ tum Regis imperio parebat, congressum celebratum iri, illucque ambos Competitores ad S. Michaelis festivitatem, vel tandem ad initium Novembris venturos, nec non omnia, quæ ad utriusque securitatem necessaria forent, viginti tribus articulis rite definita fuisse, hac tamen lege adjuncta, ut si forte quædam in dictis articulis promissa, in Savonensi Civitate, quam sibi Benedictus selegit, executioni mandari non possent, hic aliam urbem accepta-

*Bochel. in
Decret.
Eccles. Gall.
lib. 4. tit. 22.
c. 3.*

cepta-

Sæcul. XV. ceptare teneretur, a Gregorio designan-
 A.C. 1407. dam.

§. LXXIII.

Postulata Legatorum a Benedicto.

Monach.
S. Dionys.
 6.3. pag. 577.

Gallorum Oratores his omnibus in præfato colloquio perceptis, cognitoque ex Legatis propenso ad cedendam Gregorii animo, Massiliam petunt, Benedictum conventuri. Ibidem appulsi exponunt, Gregorium pro unione Ecclesiæ Papatui cedere paratissimum esse, simulque declarant, a Gallis fuisse decretum, ipsos, si resisteret Papa, utrique obedientiam denegaturos; ideoque ab eo Bullam expectari, qua juxta fidem a se datam, & Regis postulata, cessionem ratam haberet, atque resiliendi libertatem sibi restringeret. Benedictus publice sermonem satis prolixum ad Legatos habuit, & nil hæsitans se cessurum promisit, tot tamen ambigua intexuit verba, ut ad eludendam promissi sui fidem semper sibi plena adhuc maneret libertas; quasdam enim interpretationes reconditas in promptu habuit, quibus, si se nimium in angustias redigi cerneret, opportune utens sese facile extricare posset. Verbo, nihil speciosius, magisque artificiose compositum excogitari poterat, quam hæc ipsa Benedicti oratio. Quoniam vero Legatos

gatos nonnisi vano verborum apparatu Sæcul. XV. A. C. 1407.
 lactasset, inter eos fuit conventum, po-
 stridie ab illo exigendas esse Bullas, qui-
 bus clare, & semotis omnibus æquivoca-
 tionibus cuncta, quæ mox ad eos verbis
 expressit, scripto confirmaret. Illud, ut
 Benedicto proponeret, Archiepiscopo Tu-
 ronensi commissum fuit, addito simul man-
 dato, ut declararet, attentata utriusque
 Competitoris multum provec̃ta ætate op-
 pido consultum fore, si de opportunis
 caveretur mediis, ne alterutro horum,
 vel utroque e vita migrantibus, utrius-
 que partis Cardinales per duplicem ele-
 ctionem schisma ulterius propagarent;
 atque ne hoc eveniret, sequens propo-
 situm est remedium, nempe, contraria
 Cardinalium pars ad eligendum idonea
 declaretur, ut existente mortis casu u-
 trumque Collegium ad unam eandemque
 electionem concurrere posset.

§. LXXIV.

*Benedictus Papa cessionem suam Bulla
 firmare detredat.*

Tota res sic conventa ad Benedictum Monach. S. Lionys. ibid.
 desertur; verum is spretis omnibus
 sollicitationibus, quibus ad expediendam
 cessionis suæ Bullam continuo impelleba-
 tur, cunctisque mediis ad hoc obtinen-
 dum

Sæcul. XV. dum frustra adhibitis, tandem nil nisi
A.C. 1407. grandiloqua verba dabat, Regem, Lega-
 tosque exorans, ut sinceræ ejus voluntati
 acquiescerent, nec plura ab eo peterent,
 quam salvo dignitatis suæ honore præ-
 stare possiet: Ceterum in præcipuo nego-
 tii articulo ipsi quoque corde & animo
 suas sibi jungerent vires, ut Ecclesiæ con-
 cordia eo facilius restituatur. Interim
 Bullam desuper condere, constantissime
 recusabat; Quam ob rem Legati Aquas
 Sextias redire decernunt, ibidem matu-
 riori deliberaturi consilio, utrum Grego-
 rianæ legationis eventum præstolari con-
 sultius esset, vel an subtractionis decre-
 tum, quo instructi erant, Benedicto indi-
 candum foret, juxta mandatum ipsis com-
 missum, vi cujus, si eum pacis consilia
 foventem deprehenderent, illud occul-
 tum tenerent, sin vero eundem reniten-
 tem, & Bullas expedire recusantem inve-
 nirent, obedientiam ipsi subtrahendam
 fore significarent.

§. LXXV.

*Subtractionis edictum Benedicto indi-
 care morantur.*

Ibid. l. 27. c. 12 Hoc dubium hinc inde ingenti fervore
Dupuy hist. agitatum est; Vicerunt tamen ne-
Schism. gantium suffragia, & communi calculo
pag. 368. sub-

subtractionis intimationem suspendendam esse conclusum fuit: timebatur enim, ne edicto Pontifici denuntiato Savonensis impediretur Conventus. Horum quoque consilium placuit Regi, nil moratus querelas ab Universitate propositas; quare sancitum est, duntaxat si necessitas suaderet, hoc edictum Benedicto proponendi libertatem reservandam esse. Quibus ita conclusis Legati in tres partes divisi discedunt. Patriarcha Alexandrinus cum aliis Romam proficiscitur. Archiepiscopus Turonensis, & Abbas Sancti Michaelis Massiliæ cum Benedicto remanent, eo animo, ut illum non solum ad liberandam promissi fidem inducerent, sed etiam ut sedulo cunctas illius explorarent actiones, simulque eveniente illius obitu novi Pontificis impedirent electionem. Tandem Philippus Villetus Abbas sancti Dionysii, Decanus Rothomagensis, & ceteri Lutetiam Parisiorum regressi sunt, rei gestæ rationem reddituri.

Sæcul. XV.
A.C. 1407.

§. LXXVI.

Adventus Oratorum Gregorii in Aula Gallicæ.

Interea temporis Gregorii Oratores, ductore Episcopo Bononiensi Pontificis
Hist. Eccles. Tom. XXV. G Ne-

Sæcul. XV. A. C. 1407. Nepote ad regiam Franciæ deveniunt, Regemque de sincera, ac prompta Domini sui voluntate edocent, declarantes, Gregorium nullatenus partibus suis defuturum, quo minus celeriter Ecclesiarum unio perficeretur. Hi Legati per benigne excepti omne tempus, quo Parisiis hærebant, e regiõ penu sustentabantur, & redeuntes magnificis cumulati muneribus, literisque muniti sunt, quibus Rex Gregorium, & Cardinales Romanos ad bene cæpta pacis consilia firmiter tuenda adhortatus est.

§. LXXVII.

*Epistola Caroli VI ad Gregorium Papam.**Dach. Spicil. to. VI.**pag. 175.**Monach.**S. Dionys.**tom. a. p. 597.*

Carolus VI Gregorium appellat Amicum sibi carissimum in sua ad illum epistola, cujus inscriptio hæc est. *Viro sancti propositi, & fervente charitate illustrato, Angelo dicto Corario, quem nonnullæ gentes in hoc deflendo schismate Gregorium XII nuncupant.* Hunc pro concludenda unione ad impendendos omnes suos conatus adhortatur, eidemque insinuat, ut ad pium hoc juxta ac salutare obsequium strenue præstandum amore impellatur conservandæ sublimis suæ gloriæ, quam sibi hucusque in totius hujus

ius negotii processu acquisivit, ac pro-
 pterea nullatenus permittat, sibi adeo am-
 plam, tamque præsentaneam e mani-
 bus eripi occasionem, qua pacem, &
 concordiam Jesu Christi gregi nunc re-
 stituere posset, sero nimis & fortassis nullo
 amplius tempore Ecclesiæ reddendam.

Sæcul. XV.
 A.C. 1407.

§. LXXVIII.

*Gregorius pro perficienda unione
 Savonam pergere renuit.*

Pontifex pacem Ecclesiæ promovendi,
 & tempore præstituto Savonam per-
 gendi desiderium continuo simulabat, at-
 que hujus itineris occasione usus, a suæ
 obedientiæ Ecclesiis pecuniaria exigebat
 subsidia. Hunc in finem die vigesima
 tertia Aprilis generalem edidit Bullam,
 item & aliam specialem prima Junii die
 ad Henricum IV Angliæ Regem. Ve-
 rum licet eo ipso tempore Genuenses, &
 Savonenses per decretos a se Legatos om-
 nia sua Gregorio offerrent obsequia, ei-
 dem de futura pace gratulantes, imo
 licet cuncta jamjam essent optime dispo-
 sita pro celebri hocce Savonensi colloquio,
 in quo, ambo Pontifices sponte sua Pa-
 patui sese abdicare, & suorum Cardina-
 lium Collegiis novum Pontificem eligen-
 di potestatem relinquere deberent, his
 G 2 tamen

Sæcul. XV.
A.C. 1407. men nihil obstantibus, Gregorius Papa, nescio, an dominandi libidine (quæ aliunde senum animos illecebris suis fascinare potentissima est passio) an vero nimio erga consanguineos, abdicationem Pontificatus ab ipsis sub illius nomine gesti ægre ferentes, affectu excæcatus, Galliarum Legatis non easdem, quas hi speraverant, exhibebat animi propensiones. Quippe tantopere mutatus erat, ut cum ipsi, quæ Massiliæ conclusa fuerant, exhiberent, & eum ad exequenda tam religiose promissa precibus urgerent, ille præprimis Savonam adire recusat, sexcenta prætexens subterfugia, jam defectum triremium, nunc viatici indigentiam, modo consensum omnium suæ obedientiæ Nationum adhucdum expetendum, modo metum Ladislai Regis cauffatus. Præterea alios magis frivolos subjungit obtentus, quos inter præcipuus erat, quod memor eorum, quæ Galli Savonæ tunc temporis suæ potestati subditæ adversus Benedictum moliti fuissent, nec sibi ullo modo in hac urbe securitatem promittere posset. Tandem omnia, & singula motiva, quæ ad flectendum ejus animum, ut promissis staret, proponi poterant, semper pertinaci repugnantia eludebat (*).

§. LXXIX.

(*) *Immerito fractæ fidei, aut ambitionis postulatur Gregorius. Non colloquium pacis, sed locum*

§. LXXIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1407.*Conditiones ab Oratoribus Gallis
Gregorio propositæ.*

Cuncta hæc Gregorii argumenta facili negotio diluebant Legati, eidem e-
 contra exponentes, a Buccicaldo Belli du-
 ce, ac Genuensium Præfecto, atque a
 Reipublicæ Senioribus quinque triremes,
 quibus veheretur, armatas fuisse, necnon
 urbes, territoria, arces, & Genuensium,
 ac Vaonensium castella cum plena aucto-
 ritate,

Monash.
S. Dionys.
 l. 27. c. 13.
 § 14.

locum declinavit, utpote sibi ob gravissimas causas merito suspectum. Nam insidias sibi a Petro de Luna paratas, & Ladislai Romanam invadendi conatus nequaquam inanem timorem, minus vero fallacia fuisse effugia, eventus probavit; quippe Petrus Buccicaldus classe, ac Genuensium ope armatus inermem Pontificem, ac Romanam ditionem invadere attentavit. Ladislaus quoque, dum Gregorius vix Roma pro colloquio Savonæ celebrando excesserat, copia^s immisit, & urbis mœnia noctu transcendit, Picenam Provinciam, Asculum, & Firmum in suam redegit potestatem. Tandem omnem ambitionis suspicionem, aut maculam liberrima Pontificatus abdicatione in Concilio Constantiensi facta plene eluit Gregorius, necnon in Epistolis a se in hanc rem scriptis, quæ videri possunt apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum.

Sæcul. XV
A. C. 1407.

ritate, donec absolutum fuerit colloquium, Galliarum Regis nomine utriusque Competitoris manibus esse consignandas. Insuper Gregorio, ejus æmulo, cunctisque eorum sequacibus omnimodam pollicentur securitatem, opem, atque obedientiam tam a Vasallis, & utriusque hujus Civitatis subditis, & ad illas attinentibus, quam ab ipsis præstantam Venetis, quibuscum de hoc ipso articulo conveniendi provinciam sibi commissam asserabant. Tandem ipsi quoque ex parte Regis sex triremes offerebant, affirmantes, has regio ære instruendas, & per solidum semestre sustentandas; imo Gregorio, ut suæ magis provifum esset securitati, plenam suo milite hæc naves muniendi fieri potestatem, & a supremo triremium Præfecto Pontifici, omnibusque ipsi subditis, consentiente tamen Genuæ Governatore, fidelitatis sacramentum exsolvendum: atque eidem ex nobilioribus Genuæ Viris unum, & ex Primoribus Civitatis Savonensis quinquaginta in obsides tradendos, omnesque triremium Navarchos pariter fidelitatis juramento, & oppignoratis omnibus eorum bonis sese eidem obstricturos, item Regis Oratores semetipsos potius obsides daturus, quam inde discessuros re omnino infecta. Attamen adeo generosis Legatorum oblatis Gregorii animus nullate-

nullatenus movebatur, nec sese flecti per- Sæcul. XV.
 mittebat. Ultimatum ejus erat conclu- A. C. 1407.
 sum, se hac de re cum suo æmulo pro-
 xime collaturum,

§. LXXX.

*Legati ad Senatus Romani alloquium
admissi.*

Quia vero tunc temporis Romanæ ur- Monach.
 bis Regimen fuerat penes Senato- S. Dionys.
 res, Conservatores, & Vexiliferos, seu ci- l. 27. p. 605.
 vitatis Regionum Capitaneos, Legati
 priusquam discederent, cunctis urbanita-
 tis officia exsolvere, suarum partium esse
 judicarunt, quocirca ad alloquium ad-
 mitti postulantes, secunda Julii die per-
 benigne auditi sunt. Præcipua eorum
 intentio eo collimabat, ut Senatum cer-
 tiorem redderent, quanto studio Gal-
 liarum Rex unionem Ecclesiæ promove-
 re, ac Gregorium ad solvendam promis-
 sorum fidem inducere conatus esset;
 Postmodum ibidem congregatos obtestan-
 tur, ut & ipsi proprii honoris, atque u-
 tilitatis suæ memores, ad flectendum
 Gregorii animum pro suscipiendo Savo-
 nensi itinere cum illis sua quoque junde-
 re velint studia, asseverantes, Galliarum
 Regem nequidem cogitasse de Curia Ro-
 mana Avenionem attrahenda, Regem po-
 tius

Sæcul. XV. A.C. 1407
 tius ad omnia, quæcunque pro bono, ac Romanæ urbis gloria conferre posset, paratum se offerre. Joannes Parvus Doctor Legatorum nomine perorabat, ejusque sermo magno applausu exceptus fuerat. Promittunt Senatores Legatis, se piis Caroli Regis consiliis omni studio responsuros, dummodo & ipse eis contra Ladislaum sua sponderet auxilia, utpote cui durante schismate resistendo impares forent. Denique declarant, se ex suis quosdam Deputatos selecturos, qui juncta cum Legatis opera unionis negotio insudarent, salvo tamen semper omnimodo subjectionis tam sibi, quam Gregorio Pontifici debitæ.

§. LXXXI.

Legati pariter adeunt Gregorii Cardinales.

Tandem Oratores Galli, antequam discederent, denuo ejus rei periculum facturi, Gregorii Cardinales, ut & ipsi sua concurrerent auctoritate, sollicitare meditantur; Quam ob rem per Dinensem in Provincia Episcopum proponunt, se sexta jam vice inutilibus precibus Gregorium monuisse, ut tandem Massiliensia exequeretur pacta; jam vero haud ultra suum sibi discessum absque periculo

culo differendum fore, quod comperis-
 sent, Ladislaum totum in eo esse, ut Ty-
 beris ostia omni aditu intercluderet; de
 Benedicto autem affirmant, ipsum nun-
 quam suis defuturum partibus, quomi-
 nus cæptum negotium ad optatum fi-
 nem suum feliciter perduceretur, ideo-
 que ipsorum votum esse, ut hac eadem
 die Gregorium urgerent, ab eoque deter-
 minatum extorquerent responsum. Car-
 dinales collatis mutuo consiliis Legatos
 obtestantur, ut Roma non excederent,
 donec ipsi tam Leodienses, quam Ursi-
 nos Cardinales, Collegas suos advocas-
 sent, horum quoque auctoritatem implo-
 raturi, spe facta, se Gregorium ad ser-
 vanda pacta pro viribus permoturos.
 Nec eorum promissis fides deerat; hinc
 Gregorium adeuntes ab eo impetrant, ut
 se Savonam profecturum sponderet, sub e-
 jusmodi tamen conditionibus, quæ reipsa
 non nisi ad eludendum Massiliensem
 tractatum compositæ erant, quantumvis
 exterius se sincero animo agere simula-
 ret. Die ultima Julii Cardinalibus por-
 rexit scripturam, in qua ferme eadem al-
 legavit argumenta, quibus expugnatus
 Savonam se conferre recusasset. In alia
 quadam Epistola die tertio Augusti data
 pollicitus est, nisi de alio loco præter Savo-
 nam cum Benedicto convenire posset,
 se etiam illuc die prima Novembris ven-
 turum,

Sæcul. XV. turum, servatis tamen conditionibus, quas
 A.C. 1407. jam antea Gallorum Legatis indicasset.

§. LXXXII.

*Libellus supplex Legatorum ad Car-
 dinales Romanos.*

Postera die Gregorius mutato consilio pro ineundo colloquio Pisanam, Senensem, & Florentinam civitates proponit; quapropter Legati assiduis animi fluctuationibus fatigati Cardinalibus libellum porrigunt, supplicantes, ne eveniente forsitan Gregorii obitu ad electionem procederent, sed omni, quo possent, modo secundum datam ab eis fidem, cessionis viam urgerent, nec Savonam, etsi Gregorius eo ire renueret, accedere differrent. Quibus Cardinales respondent, se tanta non pollere auctoritate, ut suos Collegas absentes ad hoc adstringere valerent, se vero omnes (nec plures, quam octo præsentem aderant) nil intentatum relicturos, ut Pontificem ad expediendam Constitutionem inducerent, vi cuius, si ipsum mori contigeret, novi Pontificis suspenderetur electio, usque dum utrumque Cardinalium Collegium esset unitum; si tamen Papa muneri suo satis facere recusaret, se nihilominus nunquam suo defuturos officio. His ita stabilitis
 Lega-

Legati Franciæ nonnullis suorum Romæ ^{Sæcul. XV.}
relictis, iter aggressi sunt. Abiere quo- ^{A. C. 1407.}
que Benedicti Oratores, eum in Insula
sancti Honorati conventuri, una ex Leri-
nensibus Insulis ad littora Provinciæ sita,
ad quam Benedictus ob pestem Massiliæ
latius grassantem se recepit.

§. LXXXIII.

*Excommunicatio Benedicti in omnes
cessionis Fautores lata.*

Edictum de subtrahenda obedientia
conditum haud ignorabat Benedictus,
quamvis eidem communicatum non fuis-
set. Interim vero, dum Legati Romæ
omnem adhibent operam, ut Gregorio
viam cessionis efficaci conatu suaderent,
Galliarum Rex ineunte anno Oratores
suos, Joannem Castromorandum, & Joan-
nem Tursajum ad Benedictum ablegat,
qui ei insinuarent, nisi usque ad proxi-
mum Ascensionis festum unio Ecclesiæ
restituta esset, nec Regem, nec ejus Cle-
rum, nec ullum Franciæ subditum haud
amplius ipsi æque ac æmulo suo obe-
dientiam delaturos, sed deinceps, neutri
Pontifici adhæfuros. Benedictus ejus-
modi propositione, velut fulmine tactus
Legatis respondit, se per Viros, quos ad
Regem missurus esset, ultimam suam
senten-

Sæcul. XV. A.C.1107
 sententiam eidem insinuaturum: Nec promissum diu distulit Papa; brevi enim postmodum duos tabellarios ad Carolum Regem misit, qui quarta decima Maji Lutetiam delati huic Monarchæ Bullam ex Portu-veneris die decima octava Aprilis datam exhibent, in qua Regi declarat, eundem, si propositum, quod de obedientia utrique Pontifici deneganda moliretur, executioni daret, non solummodo incursum poenas a jure latas, sed etiam in alia Bulla sancitas, quam ideo se Regi mittere, inquiebat Benedictus, ne coram Deo, quod sui officii esset, aliquid prætermisisse argueretur.

Posterior hæc Bulla data est Massiliæ decima nona Maji Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo sexto. Benedictus in ea anathemate percellit omnes, qui quocunque pacto, directe, vel indirecte ejusmodi edicto de obedientia utrique Pontifici subtrahenda in Galliis nuperrime concepto accesserunt, cujuscunque demum conditionis essent, sive Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, sive Imperatores, Reges &c.; insuper declarat, ab hoc excommunicationis vinculo neminem, nisi solum Papam, excepto articulo mortis, absolvere posse, quin etiam in posteriori hoc casu taliter absolutum, si sanitati restitueretur, absque omni mora sedem Apostolicam adire teneri,

neri, ut præstita satisfactione, admissi criminis veniam precaretur; si vero secus fecerit, excommunicationem nullatenus sublatam censerit. Addit quoque, si intra viginti dierum spatium a die publicatæ sententiæ præfati excommunicati in suscepto persisterent consilio, Ecclesiasticos omnibus suis dignitatibus, ac Beneficiis privatos, sæcularium vero ditiones, necnon Universitatem Parisiensem interdicto subjectas esse. Præterea in hac Bulla omnes subditos a juramento fidelitatis absolvebat, cuncta feuda, ac bona immobilia, quæ dicti Domini ab Ecclesia adepti sunt, fisco adjudicabat, eaque aliis concedebat Ecclesiis, quantum de eorum bonis jure possidere possent. Iisdem quoque excommunicationis, atque interdicti pœnis subjecit omnes Personas, status, Republicas, Urbes, castra, Academias, Collegia, & Communitates, quæ vel directo, vel indirecto modo subtractioni faverent, aut subtrahentibus quovis pacto auxilium præstarent. Cum vero hæc Bulla, licet jam expedita esset Mense Majo anni millesimi quadringentesimi septimi, tamen non nisi anno sequenti ad Regem transmissa fuisset, ideo ea, quæ currente hujus temporis intervallo gesta fuere, præmittere oportet.

Sæcul. XV.
A.C. 1407.

§. LXXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1407.

§. LXXXIV.

*Epistola Legatorum Franciæ ad
Gregorium.*

Postquam Legati ad Gregorium missi ab hoc Pontifice recesserant, Genuam sese conferentes, inde ad illum die vigesima nona Augusti scripserunt epistolam verbis non minus acerbis, quam nervosis conceptam, in qua iterato eidem omnimodam securitatem, quævis humanitatis obsequia, pecuniarum subsidia, & militares copias non solum suo, sed maxime Galliarum Regis, Genuæ Administratoris plurimum ab ipsis deprædicati, necnon Genuensium, ac Savonensium nomine offerunt, saltem hac via cunctos, quibus Papa Savonensis itineris cunctationem excusabat, dissipaturi timores, verum oleum, & operam perdiderunt.

§. LXXXV.

Iter Benedicti Savonam.

Accidit hæc tergiversatio optatissima Benedicto, qui quo magis Gregorium loci mutationem urgere intellexit, eo pertinacius ille priori congressus loco standum, atque Pisanam urbem rejiciendam asserere cæpit. Quapropter Mense
Septem-

Septembri ad finem inclinante Savonen- Sæcul. XV.
 se iter aggreditur; ubi summo omnium A.C. 1408.
 jubilo exceptus, eodem tempore tres tri-
 remes omni necessario apparatu abun-
 de instructas, atque ex Hispania ad suum
 obsequium adductas conspexit. Huic
 Gregorius tribus Oratoribus ad eum ab-
 legatis, ut hanc urbem cum alia commu-
 taret, persuadere connititur. Equidem
 Benedictus Gregorii votis haud oblu-
 ctatus est, imo jam satis se egisse existi-
 mans, quod ipse primus ad locum con-
 gressus accessisse diceretur, usque ad
 Portum-veneris in Genuensium ditone
 situm se progressurum spondit, suos-
 que Legatos ad Gregorium decrevit,
 qui de loco, & colloquii capitulis agerent;
 eidemque proposuit, se ad Petram san-
 ctam accessurum, quo Gregorius se quo-
 que iturum nil hæsitans promisit, sed
 nunquam fidem exsolvit.

§. LXXXVI.

*Gregorius Roma abit, & Viterbium,
 Senasque se confert.*

Interea vero primus conventionis termi- Niem. de
 nus expiraverat. Benedictus quidem schism. l. 3.
 Savonæ jam præfens aderat, atque ex Præ- cap. 24.
 latis non pauci illuc quoque sese contu-
 lerant. Ex ambiguis tamen responsioni-
 bus,

Sæcul. XV. bus, quibus Castellæ Legatis in quodam
A. C. 1408. loco Savonæ vicino illudebat, ejus ani-
 mum a dimittendo Papatu longe alienum
 fuisse apparebat. Die nona Augusti
 Gregorius Roma profectus, primo Viter-
 bium contendit, illic tres hebdomadas
 commoratus, demum ineunte Septem-
 bri unacum Curia sua Senas pervenit, i-
 bique residuum anni tempus permanens,
 Cardinales suos vana spe lactare intentus
 fuit, ipsisque se Pontificatui renuntia-
 turum promisit, reservata tamen semper
 conditione, ut titulum Patriarchæ Con-
 stantinopolitani, Methonensem, & Coro-
 nensem Episcopatus sub ditione Veneta
 sitos sibi ad dies vitæ reservare posset,
 unacum alio quodam Prioratu, ob uber-
 rimum vectigal insigni, quem jam ante
 Papatum sub titulo Commendæ possede-
 rat; insuper Eboracensem Archiepisco-
 patum, qui vacare credebatur, quam-
 vis reipsa non vacaverit, sibi conferen-
 dum postulabat.

§. LXXXVII.

Gregorius Luccam venit.

*Niem. c. 19.
 Et 21.*

Gregorius Papa, postquam omnes artes,
 omnesque tergiversandi modos ex-
 hausisse videbatur, tandem ineunte Ja-
 nuario unacum suis Cardinalibus, tota-
 que

que Curia Luccæ advenit. Ibi Oratores Sæcul. XV.
A. C. 1408.
Benedicti illum impense rogant, ut pro-
abolendo schismate nulli omnino parce-
ret labori: Omnes quoque, qui ejus la-
tus stipabant, elevatis ad cœlum mani-
bus iterum, iterumque illum obtestantur,
ut Savonam adiret, quibus cum confe-
ssim responderet, se ad abdicandum Pa-
patum omnino paratum esse, dummodo
pariter Benedictus præensum suum jus
dimittere non recusaret, pacis negotium
vix non confectum videbatur. Verum
tota res nullum omnino sortita est effe-
ctum. Benedictus enim ex Portu-ve-
neris ad Gregorium perscribebat, se ejus
adventu tamdiu incassum expectato, ab
urbe discedendi consilium cæpisse. Hic
ex adverso propagati schismatis culpam,
& causam in Benedictum regerebat, eo-
quod Savonam, & Portum-veneris dimit-
tere, & Pisas, vel Liburnium, quas urbes
ipse ad congressum proposuisset, accepta-
re noluisse.

Sub idem tempus Cardinalis Leo-
diensis ad Theodoricum Niemum dedit Niem. loc. cit.
epistolam, in qua fatetur, sibi præsentem
rerum statum, quamvis ab exterioribus
indiciis judicium petere nolit, valde ta-
men suspectum videri, cetera tempus e-
docturum. Theodoricus occasione ex
hac epistola captata ad Gregorium lite-
ras dedit verbis admodum gravibus, li-
Hist. Eccles. Tom. XXV. H cet

Sæcul. XV. cet etiam perquam asperis conceptas, in
A.C. 1408. quibus eum ad servandam promissorum
 fidem, qua se ad abdicandum Papatam
 publice adstrinxerat, hortabatur, simul-
 que eidem exponebat extrema discrimi-
 na, quæ toti Christiano Orbi jam pro-
 xime imminerent, nisi promptum ad-
 hiberet remedium, ipsam etiam cessionis
 viam amplectendo. Tandem illi auctor
 fuit, ut aliis contraria sibi suggerenti-
 bus fidem habere nolit, nec alium in
 locum præterquam unione absoluta, mi-
 graret, nisi filios Ephraim imitari velit,
 qui in ipsa die belli terga verterunt.
 Data est hæc epistola die vigesima septima
 Maji.

§. LXXXVIII.

*Cædes Ducis Aurelianensis jussu Bur-
 gundiæ Ducis perpetrata.*

Monstrelet. **A**dversa Caroli VI Regis valetudo Gal-
vol. I. c. 36. liarum regnum ambitioni, æmulo-
Juv. Ursm. rum invidiæ, & Optimatum factionibus
Hist. Ca- in prædam exposuit. Inter Regni Com-
rol. VI. petitores eminebant Ludovicus Dux
 Aureliæ unicus Regis frater, & Joannes
 Burgundiæ Dux, Flandriæ Comes, &
 Caroli VI Patruus. Equidem unio inter
 hosce duos Principes restituta est, sed
 hæc ipsa duntaxat ad speciem compo-
 sita

ta erat; Dux enim Burgundiæ caute sæcul. XV.
 sub externis amicitiae signis occultabat A.C. 1408.
 animi sui propositum, quo Ducem Aure-
 lianensem e medio tollere constituerat.
 Vigesima Novembris die anno Servatoris
 nostri millesimo quadringentesimo se-
 ptimo coram sacratissimo Corpore Chri-
 sti, quod uterque simul perceperunt,
 sexcentis, ut ita dicam, juramentis mu-
 tuam testati sunt amicitiam. Verum
 nocte, quæ diem inter vigesimam tertiam,
 & vigesimam quartam ejusdem Men-
 sis fluxerat, Burgundus Aurelianensem
 Ducem trucidari jussit, Rauleto Octon-
 villo, Nobili Normanno, nefandi parrici-
 dii Ministro. Dum enim Aurelianensis
 ex Palatio Reginae tum ex puerperio
 decumbentis, mulo vectus, ac non nisi
 duobus, tribusve famulis stipatus domum
 rediret, Sicarius, qui eum, decem aut
 duodecim aliis in criminis societatem vo-
 catis, praestolabatur, tam immani fero-
 cia Ducem infecutus sua securi percussit,
 ut uno ictu manum ei amputaverit, al-
 tero vero caput medium dissecuerit. Ce-
 teri pluribus adhuc eidem inflictis vul-
 neribus humi stratum in platea relique-
 runt, omnibus caede peracta in Palatium
 Burgundiæ Ducis aufugientibus. E-
 quidem Rauletus hoc facinore non modo
 Ducis Burgundi odio, sed etiam priva-
 tæ suæ satisfecit vindictæ, quam con-
 tra

Sæcl. XV. tra Aureliæ Ducem meditabatur, ex quo,
A.C. 1408. quamvis haud injuste, Ducis hujus o-
 pera suo, quo apud Regem fungebatur
 officio, dejectus erat.

§. LXXXIX.

Fuga Burgundi in Flandriam.

Monach.
S. Dionys.
l. 27. c. 23.

Burgundiæ Dux ad primos patrati par-
 ricidii rumores, nec vultu nec mente
 concidere visebatur. Intererat quippe
 & ipse exequiarum solemnibus, mortuo Du-
 ci parentans, suasque lacrimas cum ce-
 terorum fletibus permiscens. Cum ve-
 ro in Regio Senatu sancitum esset, ut ad
 inquirendos, capiendosque sicarios Pala-
 tia Principum lustrarentur, tantopere
 perterritus est criminis sui horrore, ut
 Bituricensium Duci, & Siciliæ Regi, re-
 motis arbitris colloquens sese cædis au-
 ctorem esse, ultro fassus fuerit. Edita
 hac criminis confessione in se reversus
 confestim recessit, & postera die unacum
 suis sicariis in Flandriam se recepit,
 non jam occulte minas jactitans: ideo
 ejus fuga non modicum seditionis regno
 conflandæ metum, terroremque incussit,
 eoque vehementiorem, quo potentiori in
 Gallis valebat auctoritate, Parisienses e-
 nim summo eum complectebantur amo-
 re, econtra vero Duci Aurelianensi pa-
 rum

rum affecti erant. Quam ob rem iratum placare, quam fugientem insequi fatius ducentes, Ludovicus Andegavensis Rex Siciliae, Bituricum Dux Burgundi avunculus, alique Principes Ambianum contendunt, ut habito cum Duce colloquio de re componenda agerent. Dux quidem eo se contulit, valido tamen satellitio stipatus: ipsumque colloquium optato caruit exitu; cum enim Joannes Parvus Burgundi Advocatus, ex tribus, quos Dux secum adduxerat, Sorbonnae Doctoribus unus Parricidii defensionem in se suscepisset, ac sicariam Ducis Aurelianensis caedem, veluti rem optimo jure factam elatius probasset, tantum abfuit, ut Burgundus a Rege veniam delicti deprecaretur, quin potius proximis diebus Parisios accedere constitueret, facinus suum publice purgaturus.

§. XC.

Numeroso milite munitus Lutetiam venit.

Ducissa Aurelianensis, cum Blesis agens Maritum suum ex insidiis interfectum comperisset, Parisios venit unacum liberis suis, numero tribus, Carolo, Philippo, & Joanne, quorum natu major decimum quartum aetatis annum vix egressus

H 3

sus

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

Sæcul. XV. A.C. 1408. fus erat; Illa ergo de Viri sui cæde pœnas sumi, lacrimis ac querula voce efflagitante, Rex quidem afflictæ Matri filiorum suorum tutelam detulit. Mariti tamen sui cædem se ulturum promittere non audebat, Ducis Burgundiæ potentiam veritus. Infelix Vidua, postquam frustra Regis aures pulsabat, ipsumque Mariti sui sicarium proxime rediturum intellexerat, cum liberis suis Blessum reversa est. Dux vero Burgundiæ, insuperhabitis Caroli VI mandatis, qui ei Parisios accedere prohibuit, exeunte Februario anni millesimi quadringentesimi octavi octingentis Nobilibus, omnibus bene armatis, cinctus Lutetiam ingressus est. Quem Parisienses expansis ulnis porrectisque brachiis exceperant, spe freti, se ab immodico tributorum jugo, quo Dux Aurelianensis eos oppressisset, ipsius ope liberandos. Quinimo ex Mezerajo discimus, ipsam Reginam, ac Principes omnibus intimæ amicitiae signis Burgundum perbenigne exceperat, nunquam tamen ab eo obtinere potuisse, ut Ducis Aurelianensis parricidium palam confiteretur.

§. XCI.

Sæcul. XV.
A. C. 1408.*Joannis Parvi Apologia pro Duce
Burgundiæ.*

Paucis post adventum suum diebus Regis alloquium deprecans admissus est. *Wading. ad ann. 1410. n. 19.*
Die autem octava Martii in Palatio sancti Pauli causam Ducis in judicio dicebat Joannes Parvus, Universitatis Parisiensis Doctor, qui jam antea eloquentiæ fama sibi gloriam comparaverat maximam. Perorabat in pleno confessu Delphini, Siciliæ Regis, Cardinalis dicti de Baro, Bituricum, Britannia, & Lotharingæ Ducum, necnon in plurimorum Comitum, Baronum, Equitum, & diversarum Regionum Nobilium præsentia. Pariter Parisiensis Universitatis Rector unicum ingenti Doctorum numero, plurimisque Civibus aderat. Joannes Parvus in sua oratione, quam nobis Ingelramnus seu Enguerrandus Monstreletus totam atque integram servavit, ostendere nititur, Aureliæ Ducem divinam, humanamque violando Majestatem, extitisse Tyrannum, quam qui unquam fuit, sævissimum, nec non Regi salutem modo veneficiis, nunc vitam insidiis, jam solium Pontifice in opem vocato adimere molitum fuisse. Ex quibus tandem concludebat,

H 4

debat,

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

debat, Ducis necem justam æque ac necessariam fuisse, & in simili eventu cuique fas esse, Tyrannum occidere; Hinc Burgundum non solum nulla pœna ob cædem Aurelianensis plectendum, sed potius gratia, aliisque præmiis honorandum esse, non fecus ac S. Michael præmio decoratus est, eoquod Luciferum cœlo expulerit, & Phinees, quod Zambri vita privaverit.

§. XCII.

Rex Duci datis tabulis gratiam delicti facit.

Monstrelet.
vol. I. c. 38.
Et 39.

Equidem saniori Auditorum parti hæc apologia admodum injuriosa accidebat, nihilominus optatum fortita est eventum. Cum enim Rex imbecillioris esset ingenii, & facile aliorum precibus flecti se pateretur, aliunde vero Burgundiæ Dux magna apud ipsum valeret auctoritate, postera die Dux in gratiam Regis rediit, quinimo veniæ, seu regias condonati criminis tabulas obtinuit. Verum, cum post aliquot menses in Flandriam regressus esset, bellum adversus Leodienses moturus, Ducis Aurelianensis Vidua Burgundi absentia opportune usura Parisios contendit, tum ut a Rege occisi sui Conjugis peteret ultionem, tum

tum etiam ut debitas exposceret poenas ob atroces criminationes, quas Joannes Parvus adversus Ducem effutiebat, par-
 ricidium in ejus Persona commissum defendendo, atque illius memoriam infamiae maculis obfuscando.

Sæcul. XV.
 A. C. 1408.

§. XCIII.

Rex datas tabulas rescindit.

Aurelianensis Ducissæ caussa in Luparæ Palatio per Abbatem S. Dionysii Benedictinum, & Guilielmum Cusinatam Regii Senatus Advocatum tam prospero successu pertractata fuit, ut Rex tabulis gratiæ, quas Duci Burgundiæ concesserat, rescissis, eum regni hostem esse declaraverit. Ceterum hæc Regis indignatio non diu admodum perduravit. Postquam enim anno necdum evoluto Burgundiæ Dux victricibus armis iterato Lutetiam Parisiorum ingrediebatur, de nova actum est reconciliatione. Hoc vero tam vehementi dolore Aurelianensis Ducissæ animum obruit, ut præ mæroris vi, ut credebatur, animam exhalaverit.

§. XCIV.

Pax inter Regem & Burgundum.

Hujus Ducissæ obitus satis expeditam sternebat viam ad conciliandam Burgundo

H 5

gundo

Sæcul. XV. gundo Regis gratiam, triumque defuncti
Æ.C. 1408. Aurelianensis Filiorum pacem, donec
 plena utrinque animorum conjunctio Car-
 nuti in Blesia anno sequenti Mense Mar-
 tio solemnī formula conclusa fuerit.

Quamvis hoc negotium non modice
 Regis, ac Principum studia distenta tene-
 ret, nihilo segnus tamen in eorum cor-
 dibus flagrabat extinguendi schismatis
 propositum. Carolus VI satis manifeste in-
 telligens, quod uterque Pontificum nil
 antiquius haberet, quam ut in sua quis-
 que obedientia Papalem retineret Tiaram,
 prætexentes, æmulum suam non nisi
 subdolo, nequaquam autem sincero ani-
 mo procedere, tandem neutri obedi-
 dum decernit, & in epistola ad omnes fi-
 deles jam quidem duodecima Januarii
 data, sed primum vigesima secunda ejus-
 dem Mensis promulgata, declarat, se ad
 proximum Ascensionis festum vigesima
 quarta Maji omnem obedientiam hisce
 Pontificibus sic dictis excussurum. Ve-
 rum antequam hoc tempus adveniret,
 nova inter ambos hosce Papas, eorum-
 que Cardinales jurgia fuere exorta.

§. XCV.

Roma a Ladislao occupata.

Niem. l. 3. Interea Ladislaus victricibus armis glo-
c. 27. & 28. riosus Romam ingreditur. Quo com-
 perto

perto Gregorius novos sumpsit animos, Sæcul. XV. A. C. 1408.
 spe fretus, sub auspiciis hujus Regis redi-
 tum quoque ad urbem sibi parandum;
 cum enim Ladislaus vigesima quinta A-
 prilis die Romanam urbem penitus suo
 subjecisset imperio, confestim suis Lega-
 tis apud Pontificem agentibus in manda-
 tis dedit, ut sanctitati suæ indicarent, se
 nullatenus concessurum, ut in unionis
 causa ulterius procederetur, donec ipse-
 met ad conservanda sua jura negotio in-
 teresse posset. Gregorius Ladislai au-
 thoritate fultus, nec rerum, nec temporis
 rationem ultra habere visus est, nec de
 servanda promissi sui fide admoneri se
 patiebatur (*). Quemdam Carmelitam
 carceri

(*) *Theodoricus Niemus, cujus acerbus, & iniquus in Pontifices animus ubique perspicitur, Gregorium collusionis cum Rege Ladislao arguit, sed majorem fidem meretur Leonardus Aretinus, Auctor coævus, & qui gestorum ocularis testis, ac Pontifici a secretis erat, hic lib. 2. ep. 7. inquit, Sunt, qui putant, hanc totam rem a Pontifice de industria compositam, quo mentio omnis unitatis obrueretur, quod futurum erat, si Rex obtinisset. Nos hoc de Pontifice nullo modo credimus. Meram quoque hanc fuisse calumniam patet ex literis Gregorii ad Ladislaum sexta Idibus Septembris datis, in quibus ipsi acerbè exprobat suam ingrati-
 nem,*

Sæcul. XV. **A.C. 1408.** **¶** carceri mancipari jufferat, quod virili animo in quodam sermone præsentibus cunctis Legatis habito eum, ne fidem violaret, adhortari ausus esset, & Concionator iste in suo ergastulo misere periisset, nisi potenti amicorum suorum deprecatione libertati restitutus fuisset, quam tamen non aliter ac sub conditione haud amplius e suggestu dicendi obtinuit. Eodem quoque tempore Gregorii sanctione cautum est, ne deinceps ulla concionandi detur libertas, nisi prius a Viris, quorum fidem sibi exploratam habuerat, ejusmodi oratio examini subiecta fuisset. Hac severitate non parum omnes perterrebantur Prælati, quorum potior pars sub vario obtentu Luccam sese recepit. Nihil vero acrius Cardinalium animos afflixerat, quam conceptum Pontificis consilium, quo novos Cardinales creare meditabatur. Quare omnes intendebant nervos, ut Papam a suscepto proposito dimoverent, atque insuper habitis omnibus, quibus sollicitabantur, precibus, ac minis, nunquam Pontificis voto acquiescere volebant. Quinimo collatis

nem, perjuriam, iniquam urbis Romanæ invasionem, illique sub gravissimis poenis occupatorum restitutionem præcipit, quæ sane Gregorius, si eo conspirante Ladislaus urbem occupasset, perscribere timuisset.

collatis inter se consiliis, nunquam se, Sæcul. XV. A.C. 1408.
 quos Papa in Cardinalium ordinem intruderet, tanquam suos Confratres habituros, addito etiam jure jurando decreverunt. Pontifex tamen hæc eorum protestationes flocci habebat.

§. XCVI.

Novi quatuor Cardinales a Gregorio creati.

Quam ob rem absentibus suis Cardinalibus die Mercurii, quarta post Pascha hebdomade, quatuor novos creavit Niem. de schism. l. 3. c. 31.
 Purpuratos, horumque promotionem in pleno consistorio publicam fecit. Duo ex illis sui erant Nepotes, Antonius Corarius Bononiensium, & Gabriel Condulmerius Senensium Episcopus, qui postea Eugenii IV nomen ad Pontificatus sedem vocatus accepit. Reliqui duo erant Joannes Dominici e sacra Fratrum Prædicatorum familia, Ragulinus Archiepiscopus, & Jacobus Utinensis Protonotarius Apostolicus. Verum Cardinales seniores sese huic electioni opponentes nunquam eos agnoscere volebant, usquedum tandem in Concilio Constantensi confirmati fuere.

§. XCVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. XCVII.

*Veterum Cardinalium defectio
a Gregorio.*

Veteres Cardinales novorum Collegarum electione exasperati, acerba in Gregorium indignatione commoti ab illo deficere decernunt. Cum enim Pontifex in pleno consistorio, alios quosdam sacro Collegio adscripturum se pronuntiaret, Cardinalis S. Viti confestim assurgens, elata voce in hæc prorupit verba: Moriamur potius, quam quod tam indignum patiamur facinus; Hæc autem a deo intrepida voce, tamque generose protulit animo, ut ceteros ferme omnes in suam traxerit sententiam. Quia vero Gregorius expresse prohibuerat, ne quis eorum urbe Lucca excederet, aut ipsi absque suo jussu convenirent, id ipsum hoc præceptum, ut suæ salutis fuga confulerent, eos impulit. Leodiensis Cardinalis natione Germanus aliena veste indutus haud procul a Pisis ad parvam quamdam civitatem in ditioe Florentinorum sitam auffugit, cujus præsidiariæ copiæ illum tuebantur, ne in manus equitum incideret, qui jussu Pontificis eum insequerentur, etiam adhibita vi illum ad Papam reducturi. Sex alii Cardinales eodem

dem quoque die Lucca abeuntes, unacum suis famulis Pisis advenerant.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. XCVIII.

Appellatio Cardinalium ad Concilium.

Igitur apud Gregorium duntaxat sui quatuor recens creati remanserunt Cardinales, cum tribus aliis ex Senioribus, & hi quidem eo solum consilio, ut eum ad saniora reducerent. Ast Pontificem semper flecti nescium experti, brevi ad suos transiere Collegas, qui omnes concordî voto conceptam a se appellationem ad Generale Concilium, Pontifici significabant, cunctosque Christi fideles literis encyclicis de secessu suo certiores reddebant. Hanc suam provocationem tueri existimabant ex eo, quod illis Pontifex sine ipsius venia Lucca urbe abscedere inhibuisset, ejusmodi vero mandatum injustum, ac proin nullum esse declarant, cum absque periculo vitæ, aut carceris (*) metu ibidem commorari, eis

Niem. l. 3.
c. 32.

inte-

(*) *Continuator in editione Parisiensi An. 1726. quam sequimur, in gallico textu habet: empoisonnez, id est veneno aliquem occidere, sed typi errorem irrepisse, ac emprisonnez, seu carceri*

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

integrum non esset. Insuper aliud allegant præceptum, quo sine expressio Gregorii Papæ mandato congregari prohibebantur, hoc autem S. Collegii juribus, quibus gaudet, adversari contendebant. Tandem postrema appellationis causa erat, quod vetuisset Pontifex, ne communicent cum Legatis Petri de Luna, nec cum Oratoribus Gallicis, quod tamen repugnare dicunt juramento, quo quævis media unioni Ecclesiæ necessaria, aut utilia sese adhibituros promisissent, proin liberam conveniendi, ac cum parte adversa conferendi facultatem sibi esse relinquendam, cum sine ea nec Ecclesiæ concordia sperari, nec perfici posset. His igitur de causis appellant I. a Papa male informato ad Papam melius informandum. II. A Papa ad Dominum nostrum IESUM Christum, cujus vices gerit. III. Ad Concilium Oecumenicum, cui summorum Pontificum gesta dijudicare competit. IV. Denique ad Papam proxime eligendum, cujus erit a suo Prædecessore perperam sancita corrigere. Hæc appellationis acta confestim Pisis publicata,

carceri tradere, legendum putamus, nam in ipso appellationis instrumento hæc habentur: non poterunt ibi morari cum securitate, & sine metu carceris aut mortis.

cata, & postera die illorum formula ad Gregorium Papam transmissa fuit.

Sæcul. XV.

A.C. 1408.

§. XCIX.

Gregorii responsio super hac appellatione Cardinalium, quos anathemate percellit.

Gregorius in suo ad hanc appellationem responso pronuntiat, illam fuisse hæreticam, & sacris Canonibus contrariam. Dein rationes exponit, quibus permotus Cardinalibus Urbe Luccensi exire, congressus agere, & cum Cardinalibus Benedicti, atque oratoribus Gallicis conferre prohibuisset. Satis diffuso calamo exaggerat imbecillitatem causarum appellationis, seque eam nihili omnino habiturum declarat. Tandem contra eos excommunicationis sententiam vibrat, illosque omnibus suis dignitatibus, ac beneficiis exuit. Verum Cardinales his adeo non fuere perterriti, ut potius concurrente quorundam ex Gregorii Aulicis opera, Luccæ Pontificem famoso prosciderint libello, quem ad nostra usque tempora servatum Theodorico Niemo in acceptis referre tenemur. In eo summus Pontifex non solum traditur velut schismaticus, hæreticus, Antichristi præcursor, fraudum Architectus,

Hyst. Ecclesiast. Tom. XXV. I atque

Sæcul. XV. atque sceleratus, sed etiam accusatur
A.C. 1408. tanquam ebrius, crudelis, propriæ suæ
 famæ obtrectator, omnium carnalium af-
 fectuum vile mancipium, & tam spiritua-
 lis, quam temporalis boni publici destru-
 ctor. Præterea in crimen vocatur, quod
 detestabili conspiratione sese conjunxis-
 set Benedicto Anti-Papæ dignissimo ini-
 quitatum, ac violentiarum Commilitoni.
 Tandem declarant, se illius sequaces (lo-
 quuntur de quatuor illis neo-electis Car-
 dinalibus) sui honoris gradu dejecturos:
 Cardinalem quoque Ragusæum (hic
 erat Joannes Dominici) indignissimis la-
 cessunt convitiis, illumque appellant
 Monachum diabolicum, legatum Pontifi-
 cis infernalem, qui aperto Marte Decre-
 ta Canonum de disciplina ecclesiastica
 identidem impugnaret.

§. C.

Bulla Benedicti adversus Franciam.

*Hist. Uni-
 vers. Paris.
 tom. 5.
 pag. 152.*

Interea nec Benedictus benigniori ute-
 batur fortuna in Galliis, Rege Episto-
 lam, cujus antea meminimus, promul-
 gari jubente, vi cujus stabilita omnis o-
 bedientiæ subtractione, totum Galliarum
 Regnum utriusque Pontificis imperium
 excutere jubetur. Benedictus hac
 declaratione vehementer commotus die
 decima

decima nona Aprilis data e Portu-vene-
 ris Bulla regiis literis respondit, ac con-
 tinuati schismatis culpam in æmulum
 suum rejecit. Eadem hæc Bulla adhuc
 aliam acclusam tenebat, jam quidem an-
 no superiori conditam, necdum tamen
 publici juris factam, in qua anathemate
 afficit eos omnes, qui unioni, quam o-
 mni studio meditaretur, obstarent, vel
 piis ejus sese opponerent consiliis, sive de-
 mum id attentarent, a suo tribunali
 appellando (prout ab universitate ad
 majorem cautelam jam antea factum)
 sive subtractionem amplectendo, vel eam
 fovendo. Insuper in illa comminatur Im-
 peratori, aut Regi, si criminis hujus rei
 invenirentur, eorum ditiones canonico
 subjiciendas interdicto, cunctosque illo-
 rum subditos a juramento fidelitatis ab-
 solvendo. Hæc Bulla data fuit Massi-
 liæ decima nona Maji anno Servatoris
 nostri millesimo quadringentesimo septi-
 mo: Regi vero porrecta die quarta deci-
 ma Maji anno sequenti per Sanchezium
 de Lopez, qui pro consignanda hac Bul-
 la opportunum, quo Rex solus nullum
 regię stirpis Principem arbitrum haberet,
 tempus explorabat. Cum vero non so-
 lum Regi, sed etiam omnibus tam regii
 sanguinis Principibus, quam Regni Sena-
 toribus inscripta esset, Rex latori re-
 spondit, ceteros abesse, proin & illos vo-
 candos,

Sæcul. XV.
 A.C. 1408.

Vid. supr. S.
 LXXXIII.

Sæcul. XV. candos, ac non nisi eis præsentibus Bul-
A.C. 1408. lam esse aperiendam, quibus addidit, al-
 tera die responsum datum iri.

§. CI.

*Senatus ad perlegendam Bullam a
 Rege convocatus.*

Monach.
S. Dionys.
 1.28.c.2. & 5.

Ergo Rex intimum suum consilium con-
 vocat, cui intererant Ludovicus An-
 degavensis Siciliae Rex, Bituricum, ac
 Burgundiae Duces, pluresque alii Franciae
 Proceres, Aderant quoque Parlamen-
 tum, Clerus Gallicanus, atque univer-
 sitas Parisiensis, hac super re deliberatu-
 ri. Igitur referatur Bulla his ferme concepta
 verbis: Benedictus excommunicationis
 sententiam vibrat in omnes, cujuscunque
 demum essent conditionis, etiam Reges,
 & Principes, qui spreto colloquii via ces-
 sionis medium approbare, aut consiliis i-
 pfius adversari, aut sese ejus subducere
 obedientiae attentaverint, ipsi Pontifici
 Decimarum exactionem, aut Beneficio-
 rum collationem abnegantes; Si quis au-
 tem huic præcepto obluçtari præsume-
 ret, nisi infra viginti dies ad pristinum
 statum omnia revocaverit, Papa interdi-
 ctum Generale contra totum Galliarum
 regnum pronuntiat, a beneficiis Clericos
 suspendit, & fidelitatis sacramenta Regi
 alisque

aliisque Principibus præstita relaxat. Sæcul. XV.
 Quoniam vero hæc Bulla multum offen- A. C. 1408.
 derat animos, integros tres dies, quid
 factu opus esset, deliberatio tenuit.

*Juven. Ur-
sin. pag. 193.*

§. CII.

*Oratio Joannis de Curtacoxa Do-
ctoris adversus Benedictum.*

Die vigesima prima Maji feria secun- Monach.
 da Rex, Principes, alique iterato in S. Dionys.
 curiæ minoris Palatio conveniunt, ubi l. 28.
 Universitatis Rector medium totius con- Juv. Ursin.
 fessus locum occupans, atque e regione hist. Car. VL
 Regis elevatori subsellio insidens Joa-
 nem de Curtacoxa Doctorem totius U-
 niversitatis nomine causam dicere jussit.
 Hic sermonem suum satis prolixum a
 textu Psalmi septimi: *Convertatur dolor* Psal. 7. v. 17.
ejus in caput ejus, auspicatus, atrocius
 in Benedicti Papæ gesta invehitur, de-
 monstrans, Bullas illius injustas, atque ut
 damnatæ dilacerarentur, omnino dignas
 esse, cum ad schismatis propagationem,
 ac Regiæ Majestatis vilipensionem, e-
 jusque potentiae improbam everisionem
 instructæ essent. Petrum de Luna in cri-
 men vocat, quod comminari ausus fuis-
 set, se, etsi Univerfus Christianus Orbis
 cessionis viam amplectendam censeret,
 nunquam tamen a proposito suo dimo-

Sæcul. XV. A C. 1408 vendum, ac toti Galliarum regno gravissima quævis, si ei obedientiam denegaret, mala illaturum. Tandem eundem schismatis, ac hæresis nota perstringens non modo Pontificiis insignibus, sed omnibus Ecclesiæ dignitatibus merito spoliandum, Pontificii nominis omnino indignum, nec eidem obediendum esse pronuntiat, ideoque omnes collationes, & provisiones a tertia Maji anni præcedentis factas, penitus nullas, necnon dicti Petri de Luna fautores, aut receptores intra Galliarum fines tanquam læsæ Majestatis reos esse puniendos.

§. CIII.

Sententia hujus Congressus.

Ab soluto sermone Senatus per suum Cancellarium effatus est, regię suæ Majestati cuncta, quæ Doctor ille proposuisset, grata, ac rata esse. His dictis sententia lata est, Benedictum non tantum schismaticum, sed etiam hæreticum esse, quia per obstinatam suam schismatis propagationem funditus everteret Articulum fidei *de unitate Ecclesiæ*, proindeinceps omnem eidem obedientiam esse denegandam, nec ullam in eo agnoscendam dignitatem, nec Papam, & ne quidem Cardinalem amplius dici posse, sequa-

sequaces ejus tanquam schismatis fautores puniendos, omnesque Beneficiorum collationes a tertia Maji ab ipso factas, nullas esse declarandas: Bullam vero publice per Universitatis Rectorem tanquam injuriosam, seditiosam, & læsæ Majestatis crimine infamem dilacerandam, nullasque amplius Petri de Luna literas a Rege acceptandas esse. Præterea Universitati injungendum, ut Prædicatores deinceps conciones suas juxta præsentis decreti leges per totum Regnum instruere juberet; Episcopum vero San-Floriensem, qui in Arragoniam tanquam Legatus missus esset, Regi ab utriusque Pontificis obedientia defectionem persuasurus, revocandum esse, quod Benedicti obfirmatum in schismate animum fovere argueretur. Tandem Decanum sancti Germani Antisiodorensis, ceterosque, qui in fabricanda, vel transmittenda hac Bulla operam contulissent, comprehendendos, ac severitate legum castigandos.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. CIV.

Bulla Benedicti Papæ dilacerata.

Rex Bullam eodem tempore sibi exhibitam confestim suo Cancellario reddidit, a quo Rectori tradita est. Hic

Sæcul. XV. vero suo cultello perforatam in omnium
A. C. 1408. conspectu dilacerat; dein Decanus S. Ger-
 mani Antifiodorensis cum ceteris carceri
 mandatur. Guido vero de Roye Remen-
 sis Archiepiscopus, & Petrus de Alliaco
 Cameracensis Antistes, quod de illis su-
 spicio esset, ac si Petro de Luna favissent,
 constituta die in jus vocati sunt, qui ta-
 men de industria non comparuerunt.
 Denique Latores hujus Bullæ in carce-
 rem coniecti fuere.

§. CV.

*Neutri parti obediendum esse, in
 Gallis proclamatur.*

*Monach.
 S. Dionys.
 l. 28. c. 4.
 Gerson.
 tom. 2. p. 103.*

Post hunc solemnem conventum sequen-
 ti die vigesima secunda Maji edictum
 de obedientia utrique Pontifici denegan-
 da promulgatum est unacum rescripto
 regio, vi cujus accedente Regni Proce-
 rum, ac Cleri Gallicani consensu hæc u-
 niversalis subtractio præcipiebatur. Ca-
 rolus Rex missis quoque per totam Eu-
 ropam Legatis eandem ubique promul-
 gat, ac ceteros Principes ad ejus exem-
 plum sequendum hortatur. Datis insu-
 per literis Cardinales Romanos rogat,
 ut dimisso Angelo Corario (nondum quip-
 pe noverat eos ab illo jam antea de-
 fecisse) cum Cardinalibus alterius obe-
 dientiæ

dientiæ in unum locum convenirent de Sæcul. XV.
 convocando Generali Concilio delibera- A.C. 1408.
 turi, eisque quævis subsidia, consilia, at-
 que obsequia in regno suo pollicetur. Hæ
 literæ vigesima secunda Maji datæ,
 Alexandrino Patriarchæ, aliisque pluri-
 bus Prælatiſ deferendæ committebantur.
 Octavo ex post die, nimirum vigesima
 nona ejusdem Mensis Academia Parisien-
 sis ferme eodem, quo Rex tenore ad
 præfatos Cardinales æque ac ad ceteros
 Benedicto addictos scribebat.

§. CVI.

*Benedictus e Portu-veneris Perpi-
nianum abit.*

Ambo Competitores spem inter & me- Monach. 1
 tum fluctuabant; potissimum vero ad S. Dionys.
 extremas propemodum angustias Bene- l. 28. c. 3.
 dicti Papæ animus redactus est, allato ad
 eum tristi nuntio, Regem Franciæ Buc-
 cicaldo Mareſcallo, Genuæ Governatori
 in mandatis dedisse, ut, si opportunitas
 ferret, Benedictum caperet, imo ipsum
 Ladislaum, qui jam antea Romam oc-
 cupaverat, eidem cum ingenti exercitu
 insidiari, ac in captivitatem abstractum
 sibi subicere moliri. Itaque Benedictus
 rupta omni mora unacum Curia sua
 Mense Junio e Portu-veneris aufugere,
 I 5 suas-

Sæcul. XV.
A. C. 1408. fuasque triremes, quas semper armato milite instructas tenebat, conscendere statuit. Solido bimestri non sine pluribus periculis prope maritima Genuensium littora radebat. Tandem vero nec in Provinciam utpote quæ illius obedientiam excussit, nec Avenionem, ubi de novo in Palatio includi timebat, venire ausus primum ad Caucoliberitanum portum appulit, inde vero Perpinianum se recepit, quæ est urbs ad confinia Franciæ, atque Arragoniæ sita, ubi Concilium ad festum omnium Sanctorum ejusdem Anni convocabat, atque etiam celebrabat.

§. CVII.

Creatio Cardinalium a Benedicto facta.

Gall. Christ.
tom. 1. p. 112.
Antonin.
tit. 22. c. 5.
S. I. Quatuor ex antiquioribus Cardinalibus Benedictum Perpinianum usque secuti fuerant, qui tamen & ipsi paulo post ab eo deficientes, Liburnum, & inde Pisas profecti sunt. Itaque horum absentiam suppleturus, alios quinque die vigesima secunda Septembris creavit Cardinales. Horum primus erat Joannes ab Aremorica, seu Armeniaco, Joannis II Comitis ejusdem nominis Filius naturalis, & Joannis III, ac Bernardi Franciæ Connestabilis frater: quem Clemens VII ad

ad Archiepiscopatum Augustæ Aufcio-
rum denominavit anno millesimo trecen-
tesimo nonagesimo primo, anno vero su-
pra millesimum quadringentesimo primo
Carolus VI Galliarum Rex Ministrum sta-
tus renuntiavit. Hic postea a Benedi-
cto, cui adhærebat, Purpura decoratus
anno sequenti fati ereptus est, ut scri-
bit Ciaconius, brevi admodum tempore
hac dignitate potitus. Reliqui erant
Petrus Rabanus, seu Ravatus primum
Episcopus sancti Pontii, ac demum Tolo-
fanus; Joannes Martinez, seu Martinus
de Murolio Abbas Montis Arragonii;
Carolus Urricus, & Alphonsus Carillo.

Benedictus, antequam sese itineri ac-
cingeret, Gregorio epistolam verbis oppi-
do asperis conceptam scribebat, in qua
illum unicam impeditæ unionis causam
esse indignabundus incusat. Gregorius
hanc culpam palam a se amoliturus, pu-
blicis literis die vigesima sexta Junii e-
vulgatis contestatus est, se omnia animo
simplici & aperto egisse, atque unionem
clandestinis aliorum artibus unice ad vio-
lentam sui depositionem comparatis, po-
tissimum vero Benedicti tergiversationi-
bus præpeditam fuisse. Paucis: hi duo
Pontifices alter in alterum omnium Ec-
clesiæ tumultuum causam rejiciebant,
cum tamen neuter eorum Ecclesiæ pacem
reddere meditaretur.

§. CVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. CVIII.

Gregorius impactam sibi calumniam diluit.

Gregorius Luccæ adhucdum hærens, inde die duodecima Junii ad interpositam Cardinalium Romanorum appellationem respondit, eosque rebellionis ac collusionis cum inimicis suis accusans, novam Cardinalium creationem ad firmandam suam contra hosce rebelles auctoritatem necessariam fuisse contendit. Vigesima prima ejusdem Mensis die aliam epistolam ad universos Christi fideles inscriptam edidit, in qua declarat, unionem iniquis duntaxat eorum, qui ejus dejectionem expetiissent, conatibus, atque fraudibus impeditam esse, Petrum de Luna Buccicaldi Marecalli potentia suffultum, ut Romam sibi subjiceret, consilia agitare, ac per summum nefas tot, tantasque contra eum per universum orbem diffeminare calumnias, cum tamen nil magis in votis haberet, quam ipsam unionem, & Ecclesiæ pacem. Denique ad impediendum Conciliabulum Perpiniæ a Benedicto indictum, Gregorius aliud ad festa Pentecostes convocavit, anno posteriori in Aquilejensi Provincia celebrandum.

§. CLX.

§. CIX.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.*Gregorius Lucca Senas redux.*

Eo tempore Gregorius Lucca discedere constituit; Romam vero regredi minime ausus est, civium in se odium veritus, qui perperam de illo suspicabantur, eum cum Ladislao, ingentem jamjam Patrimonii Ecclesiæ partem usurpante, colluisse. Itaque Senas redire compulsus erat, ibique nonnisi brevi mora diversatus novem adhuc creavit Cardinales, ne Patrum Collegio destitutus videretur.

§. CX.

Concilium ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisas convocatum.

Cardinales Benedicti numero octo, vel novem, cum se a suo Papa derelictos omnino cernerent, Romanis Cardinalibus accedunt, omnesque concordibus votis Epistolam divulgant, in qua rei a se gestæ rationem reddunt, & sincera sua extinguendi schismatis, ac restaurandæ pacis consilia exponunt, declarantes, cunctis fidelibus hucusque horum Pontificum alterutri addictis integrum esse, hoc rerum statu permanente, atque utroque Competitore jurisjurandi

Reli-

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

religionem violante, se eorum obedientiæ subducere, adeo, ut si secus facerent, nutriti schismatis reatum incurrerent. In eadem epistola Liburni die vigesima quarta Junii data indixere Concilium Pifis ad festum B. Virginis Annuntiatae Mense Martio proxime sequenti celebrandum, in quo præsentibus Cardinales unionis negotium absolverent, nequidem expectato absentium concursu, eos tamen, qui per se interesse nequiverint, ut saltem idoneos mitterent Legatos, admonerent. Cardinales Avenionenses haud absimilem quoque epistolam quarta decima Julii datam publicarunt, in qua pari ratione Concilium Pisanum convocant; eademque die datis ad Benedictum literis illum de indicto Concilio edocent, atque ut huic intervenire velit, adhortantur, addentes, hunc convocationis modum communi omnium suffragio a se adoptatum esse, eoquod illis, qui neutrius parti adhærent, sic probatum fuisset, & aliunde Sectatores Angeli de Corario, si a Benedicto convocarentur, nullatenus Concilium accederent.

§. CXI.

Concilium nationale Parisiis celebratum.

Interea dum Cardinales pro congreganda sua Synodo Pisana ita provident,
Parisiis

Parisiis quoque actum est de cogendis Sæcul. XV.
 Cleri Gallicani comitiis, in quibus de fu- A. C. 1408.
 turo Ecclesiæ regimine, & Beneficiorum
 provisionibus tractaretur. His Lutetiæ Spicil. tom. 6
 Parisiorum prima die Augusti initium da- pag. 161.
 tum est. Joannes de Monte acuto Ar- Coliect.
 chiepiscopus Senonensis, Simonis Cra- Labb. Conc.
 maudi tunc Pisis Legationem obeuntis tom. XI.
 vices agens, Præsidis officio fungebatur, p. 2520.
 cœtusque usque ad quintam Novembris
 diem perdurabat. In eo præclara con-
 debantur decreta de absolutionibus, dis-
 pensationibus, judiciis, appellationibus,
 Beneficiorum provisionibus, omnibusque
 aliis Ecclesiasticis caussis, ut patet ex a-
 ctis Synodi, quæ Monachus S. Dionysii,
 Caroli VI Historiæ Scriptor integra re-
 censet, & Laborius publici juris fecit.
 Horum Canonum impræsentiarum non-
 nisi summam exhibemus.

§. CXII.

Hujus Concilii decreta.

I. Excommunicatorum absolutio ipso Monach.
 jure Papæ reservata a sacrae Se- S. Dionys.
 dis Apostolicæ Pœnitentiario concedatur, in Hist.
 si vero quædam ad eum recurrenti Carol. VI.
 difficultas emergeret, Ordinarius loci
 provideat.

II. Ad

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

II. Ad obtinendas dispensationes ab irregularitate, quas Pœnitentiarius concedere valet, ad illum, si vero ejus potestatem excedant, ad Episcopum recuratur.

III. Ad dispensationes in impedimentis Matrimonii consequendas recursus habeatur ad Pœnitentiarium, vel ad Concilium Provinciale.

IV. Episcoporum electiones a Metropolitanis confirmentur, Sede metropolitana autem vacante, a Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ; Electio vero Archiepiscoporum a Primatibus, vel a Concilio illius Provinciæ Episcoporum, ad quos etiam Archiepiscopum consecrare pertinet, hac tamen servata conditione, ut Pallio abstineat, nisi quis adsit, cui jus conferendi illud competat. Abbatum monasteriorum etiam exemptorum electiones per Ordinarios, qui itidem electis Benedictionem conferant, confirmentur.

V. Dispensationes hætenus a Petro de Luna concessæ, validæ agnoscantur, & executioni mandari valeant.

VI. Metropolitanis singulis annis Concilium ex suarum Provinciarum Episcopis cogant, huic autem omnes interesse teneantur; item Monachi Ordinis S. Benedicti, & Canonici Regulares Provincialia capitula quot annis celebrent.

VII.

VII. Appellationes fiant secundum Sæcul. XV.
A. C. 1408.
 gradus Jurisdictionis, sique prima instan-
 tia facta fuerit coram Archiepiscopo, ab
 eo appelletur ad Concilium Provinciale,
 quod Commissarios denominet, a quorum
 sententia denuo ad Concilium appellari
 liceat; hoc autem alios designet Com-
 missarios, qui definitivam pronuntient
 sententiam, dummodo omnes tres sen-
 tentiæ semper sibi conformes sint; In ca-
 su appellationis, donec interea Conci-
 lium celebretur, Episcoporum Decanus
 excommunicato absolutionem *ad caute-
 lam* impertiri valeat; Omnes appellatio-
 nes, & causæ ad sacram Sedem Aposto-
 licam deferri solitæ, ad Concilium Pro-
 vinciale deferantur, atque a Commissariis
 ab eo designandis dijudicentur; causæ
 vero Ordinis Cluniacensis a proprio eo-
 rumdem Capitulo Generali decidantur:
 & deinceps nulla habeatur ratio ad ap-
 pellationes, quæ apud Curiam Romanam,
 durante neutralitate interponentur; Sen-
 tentiæ tamen ante neutralitatis pro-
 mulgationem in Curia Romana latæ, in-
 fra currentis Mensis spatium executioni
 dari possint.

VIII. In dijudicandis causis proce-
 datur juxta juris communis præscripta,
 non vero secundum regulas Cancellariæ:
 Nunquam tamen causarum Ecclesiasti-
 carum

Hist. Eccles. Tom. XXV.

K carum

Sæcul. XV. carum iudicia ad forum sæculare devol-
 A. C. 1408. vantur.

IX. Electiones, collationes, præsentationes, nominationes ad Beneficia ab iis, quibus de jure competit, fiant; Academia Album instruat omnium illorum, qui ad beneficia nominabuntur, cui tamen non inscribantur, quorum reditus ad quadringentas duntaxat ascendunt libras, nisi quodam caractere, aut dignitate insigniti fulgeant.

X. Omnes Beneficiorum in Galliis proventus a Petri de Luna famulatu adscriptis possessi confiscentur, & ærario Regis cedant, ad prosequendum unionis negotium impendendi. Hac quoque constitutione Cardinales haud ita pridem a Petro de Luna creati, utpote illius fautores, hæresis, atque schismatis rei damnantur; horum nomina sunt: Archiepiscopus Auxitanus; Episcopus sancti Pontii; & Catalaunensis Antistes; Abbas sancti Saturnini Tolosanus Condomiensis Episcopus; Bertrandus de Momonte Vauri Episcopus, Guido Flandrinus, Epistolæ Universitatis Tolosane actor. Auxitanus vero Archiepiscopus, necnon & de Flisco, ac de Chalanto Cardinales nominatim in hac condemnatione expressi leguntur. In ea etiam Auxitanus paulo ante a Petro de Luna Cardinalis renuntiatus, Rothomagensi spoliatur

liatur Archiepiscopatu, quem ab eodem Sæcul. XV.
 Anti-Papa collatum possidebat, in ejus- A. C. 1408.
 que locum idem Concilium Ludovicum
 de Harcourt e regia stirpe oriundum, at-
 que a Rothomagensi Capitulo electum
 confirmavit.

§. CXIII.

Decreta ista nonnullis displicent.

Ad calcem horum Decretorum adjecta
 legebantur sequentia: *Hæc sancita
 sunt, salvis juribus Coronæ Franciæ, &
 libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, salva etiam
 debita sanctæ sedi Apostolicæ reverentia,
 & Domino Papæ futuro legitimo, CLA-
 VE NON ERRANTE.* Præsulum
 nonnullis hæc decreta minime probaban-
 tur, eorumque conditores, quod illa abs-
 que sufficienti auctoritate conflasset,
 tanquam alieni juris usurpatores fugil-
 labant. Guido Regis, seu *de Roye* Re-
 mensis Archiepiscopus gravioribus que-
 relis desuper motis ad Concilii Prælatos
 scribere non dubitabat, Neutralitatem ab
 eis proclamatam vere insaniam sapere,
 seque contra eam, & adversus cuncta il-
 lius decreta insurrecturum, utpote a Vi-
 ris legitima potestate destitutis condita,
 nec cum debita ad Ecclesiæ Romanæ
 auctoritatem subordinatione facta; hinc
 se eos adhortari, ut Concilio Perpiniano,
 K 2 quod

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

quod Petrus de Luna convocasset, inter-
esse haud morarentur. Hæc Epistola
non parum Concilii Præsulibus bilem
moverat, atque Universitas a Rege fa-
cultatem obtinuit, Archiepiscopum in jus
vocandi, qui tamen huic edicto parere
recusavit, allegans, se primarium esse
Parem Franciæ, non vero Commissario-
rum prædam (verba sunt san-Dionysiani
Monachi) neque se, si cujusdam crimi-
nis reus esset, alium agniturum ju-
dicem, qui Rege, seque inferior foret.
Præterea Regis jussu, & ad preces U-
niversitatis sancitum est, ut Petrus de
Alliaco Cameracensis Episcopus tanquam
Petri de Luna fautor comprehenderetur;
imo Comiti de S. Paulo in manda-
tis datum, ut eum Parisios adduceret.
Verum Præsul iste opportuna usus soler-
tia hoc fatum prævertit, obtentis a Re-
ge publicæ fidei tabulis, vi quarum ei
cautum erat, ut si cujusdam sceleris in-
simularetur, suæ causæ cognitio ad su-
preum Regis Senatum devolveretur.

§. CXIV.

*Castigatio eorum, qui injuriosam Be-
nedicti Bullam attulerant.*

Durante adhucdum Concilio in eos,
qui acerbam Benedicti Bullam ad
Gallia-

Galliarum Regem detulerant, animad- Sæcul. XV.
 versum est; Designatis ad dijudicandam A. C. 1408.
 eorum causam Commissariis, Sanchezius
 Lupus, alias *Lopez* natione Castellanus
 unacum Curseore, seu potius nobili Pon-
 tificis Scutario ex Arragonia oriundo
 die vigesima Augusti feria secunda, lata
 in eos sententia damnati sunt. Monachus
 S. Dionysii utriusque supplicium a-
 deo memoratu digna narratione exponit,
 ut eam huc afferre operæ pretium om-
 nino ducamus: " Ut majori, inquit il-
 „ le, afficerentur ignominia, Judicium Monach.
 „ jussu mithris e papyro confectis redi- S. Dionys.
 „ mebantur, & Dalmaticis ex tela ni- l. 28. c. 7.
 „ gra confectis, ac desuper depictis Pe-
 „ tri de Luna insignibus vestiti, atque
 „ appensa gestantes programmata, qui-
 „ bus falsarios, & proditores ab alio pro-
 „ ditore missos esse exprimebatur, plau-
 „ stro alias pro evehendis Parisiensis
 „ urbis sordibus destinato imponebantur,
 „ ut hoc apparatu instructi ad Curiam
 „ Palatii veherentur, atque in ferali peg-
 „ mate totius populi exponerentur ludi-
 „ brio, qui quidem in magna conflu-
 „ xerat frequentia, sed non modica su-
 „ spensus detinebatur admiratione, quod
 „ illos tantis contumeliis affici cerneret,
 „ nec tamen causa culpæ manifestare-
 „ tur, nec cujus auctoritate tale iudicium
 „ con-

Sæcul. XV. „ contra eos latum fuerit, proclamare-
 A. C. 1408. „ tur. „

Postera die, quæ erat Dominica, ite-
 rato sub eodem habitu in vestibulo Ec-
 clesiæ ad Beatam Virginem expositi com-
 parebant. „ Ibiq; Commissariorum u-
 „ nus ex Ordine sanctissimæ Trinitatis,
 „ & Theologiæ Regens integrum inju-
 „ riarum, & convitiarum torrentem con-
 „ tra Petrum de Luna, necnon contra
 „ præsentis illos infelices Viros evo-
 „ muit, talibus usus verbis, quæ sane in-
 „ fima sæx plebis proferre erubesceret,
 „ quo indigno facinore potissimi tantam
 „ concepere iram, ut ex congressu abi-
 „ verint. Tandem postquam iste De-
 „ clamator omnes injuriarum, ac crimi-
 „ nationum fontes adversus Benedictum
 „ exhauserat, ipsum, omnesque ejus fau-
 „ tores hucusque in carcere detentos
 „ læsæ Majestatis reos, & de hæresi, ac
 „ schismate convictos, publice declara-
 „ vit, addens, quod ad eadem crimina
 „ quadantenus reparanda hi duo com-
 „ plices ibi præsentis condemnati fue-
 „ rint, & quidem horum primus ad per-
 „ petuos carceres, Cursor vero ad trien-
 „ nale duntaxat ergastulum, & hæc ex
 „ Commissariorum sententiâ. „ Cete-
 „ ros quoque complices in custodia deten-
 „ tos ad eandem triennem poenam con-
 „ demnare statuebant Judices, sed trimestri
 car-

carcere eos punire præplacuit. Quia Sæcul. XV.
A.C. 1408.
vero hi captivi elapso termino necdum in libertatem asserti fuerant, querelas suas ad Reginam, & Aquitaniæ Ducem detulerunt, a quibus illi eodem adhuc die, delegata Judicum auctoritate penitus revocata, Episcopo tradi jussi sunt, cui quantum ad schisma spectat, cognitio causæ demandata est, quantum vero ad crimen læsæ Majestatis, cujus postulabantur, Senatus Regii judicio relictæ fuerunt. Nihilominus integro adhuc Mense in Episcopali carcere detinebantur, quo tempore evoluto Episcopus eos, qui de gremio Capituli Ecclesiæ Cathedralis erant, libertate donavit, Abbate sancti Dionysii & Vapicensi Episcopo in custodia adhuc dum hærentibus. Ubi vero Regina, Aquitannus, Bituricensis, & Burgundus comperiebant, quod potius ex Judicum pertinacia, quam æquitatis studio detinerentur, eos liberarunt, & ad sua redire concesserunt.

§. CXV.

Promotio Cardinalium a Gregorio facta.

Gregorius, quantum in ipso erat, ad partes suas firmandas, aut saltem ad jacturam, quam suorum Cardinalium de-
Raynald. ad ann. 1408. n. 59.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

fectione perpeſſus eſt, reparandam ſtudia ſua convertens, feria quarta die decima nona Septembris novem creavit Cardinales, nempe Ludovicum Bonnetum (*) Juris Doctorem & Archiepiſcopum Tarentinum, Cardinalem Presbyterum tit. S. Mariæ Trans Tyberin; Angelum Episcopum Recinetensem tit. S. Stephani in monte Coelio; Angelum Barbaricum nobilem Venetum Episcopum Veronensem tit. S. Petri & Marcellini; Bandellum de Bandellis Luccæ oriundum, Episcopum Tiferensem, alias *Citta di Caſtello*, Cardinalem Presbyterum tit. S. Balbinæ; Philippum Rapindonem, ſeu Rapington Anglum, Oxoniensis Univerſitatis Cancellarium, & poſtea Lincolnienſem Episcopum Cardinalem Presbyterum tit. SS. Nerei & Achillæi; Matthæum Episcopum Wormatiensem, Cracoviæ oriundum, Cardinalem Presbyterum tit. S. Cyriaci; Lucam Manzoli Florentinum ex ordine Humiliatorum Episcopum Feſulanum, Cardinalem Presbyterum tit. S. Laurentii in Lucina; Vincentium de Rives Hispanum, Juris Doctorem, & Montis Serrati Priorem, Cardinalem Presbyterum tit. S. Anaſtaſiæ; Petrum Morſinum

(*) Hunc Raynaldus, Paggius, pluresque alii vocant Brancacium.

num, seu Maurocenum nobilem Venetum, Sæcul. XV.
A.C. 1408.
Cardinalem Diaconum tit. S. Mariæ in
Cosmedin.

§. CXVI.

Utriusque Collegii Cardinalium Epistola ad Carolum.

Antiquiores Gregorii Cardinales Liburnum petunt, sua quoque cum Cardinalibus Benedicti studia collaturi. Igitur utriusque obedientiæ Collegiis ita congregatis secundum præsentem rei statum, quid agendum, deliberant. Ante omnia literas perscribunt ad Galliarum Regem Parisiensi Universitati inscriptas. In iis Carolum VI adhortantur, ut omni sua, qua pollet, auctoritate, ac potentia ad tam sanctum, piumque opus, quale esset schismatis extirpatio, juncta cum illis opera concurreret. Hanc Epistolam Patriarcha Alexandrinus in Gallias detulit, aliamque ex parte Regis Cardinalibus reddidit.

§. CXVII.

Epistola Cardinalium Gregorii ad Brunswicensem, & Luneburgicum Duces.

Cardinales Gregorii ad Duces quoque Brunswicensem, & Luneburgensem, Spicil. tom.
V l. p. 190.
qui

Sæcul. XV. qui hujus Papæ obedientiam profiteban-
 A.C. 1408. tur, perscripserunt. Hæc epistola Pisis
 duodecima Maji data, atque a novem
 Cardinalibus, qui primum eo convene-
 rant, signata fuit. Exstat adhuc alia Li-
 burni die sexta Julii ab eisdem ad di-
 ctos Principes scripta, in qua eos admo-
 nent, ut Concilio, quod Pisis celebrare
 decrevissent, vel per se, vel saltem per
 suos legatos intervenire vellent, nec un-
 quam paterentur, ut Gregorius Benefi-
 cia in eorum ditionibus sita sibi vendica-
 ret, aut deinceps Camera Apostolica qua-
 lecunque subsidium inde acciperet.

§. CXVIII.

Alia ad Gregorium epistola.

Raynald. ad Ex eadem quoque Civitate ad Grego-
ann. 1408. rium literas verbis admodum asperis
n. 33. conceptas exarabant, in quibus nequi-
Spicil tom. dem Pontificis nomine eum honorantes,
VL. p. 200. eidem iterata exprobrant juramenta,
 pervicacem suam, nullaque solida ra-
 tione firmatam, Savonam pergendi repu-
 gnantiam, atque contemptum non solum
 Cardinalium, sed etiam Franciæ, ac Ve-
 netiarum Oratorum, aliorumque, qui eum
 ad Savonense iter impense sollicitassent.
 Denique post crebras, ac valde acres ob-
 jurgationes declarant, se, ut suo non mi-
 nus

nus officio, quam totius orbis voto fa-
 rent satis, ab illo recessisse, & Concilium
 convocare statuisse, reputantes, ad duo
 Collegia invicem conjuncta de jure se-
 cundum Canones ejusmodi convocatio-
 nem devolvi, cum Concilium per alteru-
 trum ex duobus Competitoribus convo-
 catum, nunquam pro Oecumenico ha-
 beri posset, ac etsi sese ad ejusmodi Con-
 cilium utriusque consensu congregandum
 unirent, nil nisi tamen monstro haud
 ab simile corpus resultaturum, utpote cu-
 jus præsidium ambo capita sibi arroga-
 tura essent. Illos vero Canones, qui
 Concilii Generalis indictionem soli Pon-
 tificis auctoritati attribuerent, non se
 extendere ad casum, quo duo Pontifices,
 spreta voti, atque juramenti religione de
 Papatu retinendo contenderent. Tan-
 dem eundem adhortantur, ut ad dictum
 Concilium accederet, quod si venire recu-
 sasset, aut si venerit, ea tamen, ad
 quæ teneretur, non adimpleverit, denun-
 tiant, se contra illum juxta omnem juris
 rigorem processuros. Schismatis quo-
 que Auctores tanquam Viros ipsis Ju-
 dæis & Militibus paganis deteriores de-
 pingunt.

Sæcul. XV.
 A.C. 1408.

Secul. XV

A. C. 1408

§. CXIX.

Litteræ a Benedicti Cardinalibus ad eundem, & a toto S. Collegio ad omnes Prælatos datæ.

Bourg.

Prob. pag.

535. 540. 541

Labe tom.

XI Cont.

p. 2. fol. 214.

Haud segnioribus stimulis Cardinales Petri de Luna suum quoque Pontificem urgebant, ut ad Concilium, quod ad vigesimam quintam proximi Mensis Martii diem Pisis celebrandum indixerant, accederet, postulantes ab eo, ut huic convocationi suo quoque consensu adstipularetur, ac vel per se, vel Procuratores suos plena auctoritate instructos interesset, declarant tamen, quod si renuerit, nihilominus se a cæpto nequaquam destituros proposito, sed cuncta, quæ Concilium pro unione Ecclesiæ necessaria censuerit, executioni daturus. Posthæc tam isti, quam Cardinales Gregorii communi consilio ad omnes utriusque Obedientiæ Prælatos litteras dederunt, queis illos ad idem Concilium invitarunt.

§. CXX.

Florentinorum, & Bononiensium responsum super quæstione de convocando Concilio.

Antonin. l. 3.
tit. 22. §. 2.
c. 5.

Dum interea Cardinales pro congreganda Synodo mutua conferunt consilia,

filia, quædam dubitatio plures suspensos tenet, scilicet, *qua auctoritate hoc Generale convocaretur Concilium?* Quoniam, inquebant illi, soli summo Pontifici competit Conciliorum Canones de rebus Ecclesiæ agentes firmandi potestas. Hæc quæstio integrum triduum Florentiæ matura deliberatione discussa est, tandemque unanimi voto conclusum, in præsentis rerum statu jus convocandi Concilium, in quo Competitorum causam dijudicarent, ac Pontificem alium eligerent, ad Cardinales devolvi. Pariter Universitas Bononiensis in hanc sententiam abiit: incertum esse, quisnam ex hisce duobus æmulis legitimus Papa foret, proin minime dubitandum, neutrum eorum unquam huic convocationi suo suffragaturum consensu; etiam constare, nec istum, nec illum in particulari tale Concilium convocare posse, cum ab una duntaxat Ecclesiæ parte tanquam Papa agnosceretur, & denique summam negotii unice in extirpatione schismatis hæerere, quam tamen uterque per abdicationis viam procurare jurata fide promississet; Ergo, conclusit universitas, cuncta hæc rationum momenta persuadent, ut hæc duo Collegia in unum congregata in præsentis rerum articulo Concilium convocandi potestate gaudeant, accedente consensu majoris partis Principum, Prælatorum

Sæcul. XV.

A. C. 1408.

B200 ann.

1408. n. 4.

Sæcul. XV. rum, atque fidelium, qui, cum ipfimet
 A.C. 1408. sint Ecclesia, seu Cætus Christianorum,
 in tali casu ipsos Cardinales ad hunc a-
 ctum idoneos reddendi facultate pollent.

§. CXXI.

Gregorius a sibi addiſtis deſertus.

B20V. n. 15. Hæc decifio non parum Cardinales in
 proposito, quo Synodum convocare
 decreverant, firmabat. Gregorius vero
 a Florentinis de hoc Cardinalium confi-
 lio per epistolam edoctus, die octava Mar-
 tii anni ſequentis reſpondit, integram
 conſcribendo apologiam, commoventis
 animis admodum idoneam, qua ſe pur-
 gare conatus eſt, poſtulans, ut a Conci-
 lio Piſis congregando deſiſteretur, atque
 alius ſeligeretur locus, ad quem ſe quo-
 que acceſſurum ſpoſpondit. Sane Grego-
 rius haud levibus rationum momentis ad
 impediendum Piſanum concilium urge-
 batur; Nam Balthaſar Coſſa Cardinalis
 tituli S. Euftachii, & Vicarius Eccleſiæ
 Romanæ ab utroque Collegio in unum
 congregato renuntiatus ſub graviffimis
 prohibuit pœnis, ne deinceps ſive Bene-
 dictus, ſive Gregorius pro Pontifice ha-
 beretur, ac ideo Bononienses Antonium
 Corarium, quem Gregorius ejuſdem Pa-
 truus Epifcopum Bononiensem creaverat,

rat, ab hac sede deturbarunt; Romani quoque in ignia, & Gregorii effigiem ubique dejecerunt, nec ultra eum appellare Papam Romæ licebat. Nec minus Venetis Concilium Pisis celebrandum probabatur; & Cardinalis Philargius, qui postea sub nomine Alexandri V. Papa electus fuit, ad Balthasari Cossæ partes accessit. Tandem Pisis jamjam hærebant Oratores Franciæ, Siciliæ, Lusitaniæ, Angliæ, Hungariæ, & Poloniæ, qui omnes hanc Synodum omni studio urgebant.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. CXXII.

Iterata Cardinalium Benedicti ad eum epistola.

Quoniam Benedictus epistolam, qua Cardinales antiquiores eum ad Synodum vocabant, respondere neglexerat, hi ad eundem iteratas expediunt literas, quæ Pisis die vigesima quarta Septembris datæ fuerunt, Joanne Guiardi Doctore, & Pictaviensi Archi-Presbytero illarum bajulo. His vix non eadem, quæ in primis, petebant Cardinales, tandem declarantes, quod si Concilio intervenire, aut saltem nomine suo quosdam ablegare renueret, tanquam contumax judicaretur, & velut membrum ab Ecclesiæ

Sæcul. XV. clesiae corpore abscissum, necnon crimi-
A.C. 1408. nis reus, nequidem Martyrio pro Chri-
 sti fide tolerato expiandi, habendus esset.

§. CXXIII.

*Benedicti responsoriae ad suos
Cardinales.*

Spicil.tom. His tandem Benedictus acriter stimu-
Pl. p. 225. latus ad eos die decima septima No-
 vembris responsorias misit, in quibus, a-
 lienus sum, inquit, “ ab objecto propaga-
 „ ti schismatis probro, veni enim Savo-
 „ nam, sed Gregorio illuc accedere re-
 „ cusante, ac insuper mihi a Florentinis
 „ & Luccensibus denegato salvo condu-
 „ ctu nec Liburnum adire fuit integrum;
 „ Ceterum haud diffiteor, quod ad tu-
 „ tum me locum receperim, interim ta-
 „ men Legatos meos plena ad unionem
 „ efficaci conatu promovendam auctori-
 „ tate munitos mittere, firmiter decrevi,
 „ Genuæ vero Gubernator a Franciæ Le-
 „ gatis inductus eisdem liberi com-
 „ meatus literas expedire detrectavit.
 „ Hac de causa inde recedere, ac Con-
 „ cilium Generale Perpiniæ indicere
 „ compulsus fui, utpote quæ esset civi-
 „ tas ceteris securior juxta ac vicinior.
 „ Cum autem, profequitur, ipsemet Pi-
 „ fas adire omnino nequeam, ideo vo-
 „ bis

„ bis præcipio, ut Perpinianum acceda- Sæcul. XV.
 „ tis, ubi jam plurimi Prælati, alii que A. C. 1408.
 „ spectabiles Viri ex Hispania, Galliis,
 „ Sabaudia, Provincia & Vasconia sese
 „ contulerunt, spondeoque, me ad to-
 „ talem schismatis extinctionem, & red-
 „ dendam Ecclesiæ pacem in hoc Con-
 „ cilio omnia necessaria adhibiturum
 „ media. „

§. CXXIV.

Concilium Perpinianense a Benedicto celebratum.

Die omnibus Sanctis sacra Concilium Tabbe Col-
 suum Perpiniani solemnè admodum lect. Conc.
 pompa auspiciatus est Benedictus. Ma-
 gna erat congregatorum frequentia; tom. XI.
 Non viderant Cardinales, quatuor Patriar- pag. 2110.
 chæ, Constantinopolitanus, Alexandri- Niem. l. 3.
 nus, Antiochenus, & Hierosolymitanus c. 36.
 a Benedicto creati, nam & Gregorius to- Surita l. 3.
 tidem suos habebat Patriarchas sub iis-
 dem titulis. Præterea præsentès assiste-
 bant Toletanus, Cæsar augustanus, & Tar-
 raconensis Archiepiscopi, ingens quo-
 que Prælatorum numerus Hispaniæ, Ca-
 stellæ, Arragoniæ, vicinarumque Provin-
 ciarum, nimirum Sabaudicæ, Lotharin-
 giæ, ipsiusque Franciæ, ex Comitibus
 Armoricensi, & Fuxensi. Major quo-
 que

Hist. Eccles. Tom. XXV.

L que

Sæcul. XV. que Gallorum fuisset concursus, nisi edi-
A.C. 1408. cta in Galliis promulgata, & præfidiarii,
 quibus ad Concilii locum omnes inter-
 cludebantur viæ, aditum prohibuissent.
 Unde non pauci mutatis etiam vestibus
 eo pergere compellebantur. Prima hac
 die Pontifex rem divinam peragebat,
 quam Alphonsi Æneæ Patriarchæ Con-
 stantinopolitani Hispalensis Ecclesiæ ad-
 ministratoris oratio excepit. Altera ve-
 ro Sessio, ut absentibus commodior pa-
 teret accessus, usque ad quintam deci-
 mam Novembris diem protracta fuit.
 Tempore hoc intermedio, nempe duode-
 cima ejusdem mensis Benedictus duos
 creabat Patriarchas, scilicet Franciscum
 Ximenen ex ordine FF. Minorum, nec-
 non Thesaurarium Ecclesiæ Magellani-
 cæ; Hunc Hierosolymitanæ, illum vero
 Ecclesiæ Antiochenæ præfecit. Quos
 ambos Joannes de Aremorica alias Car-
 dinalis Auxitanus consecravit. Ergo
 prima hujus Concilii Sessio habita est
 quinta decima Novembris, in qua nonni-
 si studia, ac labores, quos Benedictus ex-
 antlavit, & pericula, quæ pro extin-
 quendo schismate subiit, exaggerabantur.
 In altera sessione die decima septima e-
 jusdem mensis celebrata perlecta est pro-
 fessio fidei, quam Pontifex tenere se, ac
 profiteri declaravit. In tertia, quæ feria
 quarta die vigesima prima Novembris ini-
 ta

ta est, denuo cuncta pro restauranda pace a Benedicto præstita recensebantur. Tandem in quarta, quæ in diem quintam Decembris incidit, Benedictus e Prælati-
 Sæcul. XV. A. C. 1408.

bus suis media, quæ ad reddendam Ecclesie unionem utiliora censerent, explorabat. Episcopi in diversas abiere sententias. His placuit, ut Benedictus ad Pisanos, rupta omni mora suos mitteret Legatos, qui ejus nomine Papatum dimitterent; alii vero abdicationem hanc adhuc differendam existimarunt; tandem tanta animorum, vocisque contentione disceptatum est, ut potior Prælatorum pars inde recesserit, nonnisi octodecim eorum remanentibus.

§. CXXV.

*Libellus supplex Benedicto a suis Prælati-
 oblati.*

Prima Februarii die anni sequentis, præfati octodecim Prælati Papæ porre-
 xerunt libellum supplicem, in quo declararunt, venerari se illum tanquam verum & legitimum Christi Vicarium, simul tamen eidem auctores esse, I. ut cessionis viam tanquam meliorem, atque aliis viis præhabendam omni dilatione remota amplecteretur. II. Necnon nomine suo ad contrariæ obedientie Pontificem, e-

Niem. de schism. l. 3. c. 38.

Sæcul. XV. jusque Cardinales decerneret internun-
A.C. 1409. tios, plena & libera instructos potestate
 tractandi omnia & singula ad pacem ne-
 cessaria, ac si ipse præsens adesset. III.
 Eventui, quo eum forte unione nondum
 perfecta obire contingeret, jam nunc
 Constitutionibus, tamque salutaribus pro-
 videret legibus, ut juxta eas electio Ca-
 nonice celebrari posset; congruas item
 statueret poenas in eos, qui pacem per-
 turbare attentarent.

§. CXXVI.

*Septem Oratores ad Concilium Pisi-
 num a Benedicto nominati.*

*Spicil.tom.
 VI. p. 236.*

Benedictus Mense Februario ad finem
 vergente, anno supra millesimum qua-
 dringentesimo nono præfatum recipie-
 bat libellum, cumque se omnia in eo
 contenta executurum spondisset, Pa-
 triarcha Constantinopolitanus nomine
 Concilii eidem gratias agebat. Ergo da-
 tæ fidei memor in Sessione die vigesi-
 ma sexta Martii celebrata septem diver-
 sarum Nationum Oratores designat, qui
 cum plena de concordia tractandi au-
 thoritate muniti Pisas irent, atque hujus
 negotii perficiendi media explorarent.
 Hanc legationem obierunt Archiepisco-
 pus Tarraconensis, Seguntinus, Mimatini-
 nus,

nus, & Senensis Episcopi, Prior Ecclesie Sæcul. XV.
 Cathedralis Cæsar - Augustanensis, & A. C. 1409.
 Gallæciæ Ecclesie Administrator, nec-
 non Bonifacius Ferrerius, qui Vincentii
 Ferrerii Dominicani a Calisto III San-
 ctorum fastis adscripti frater erat. Hi
 autem omnes in itinere adhuc constitu-
 ti, jussu Galliarum Regis Nemausi fuere
 intercepti, solo excepto Tarraconensi
 Archiepiscopo, utpote qui Cataloniæ hæ-
 rebat nomine Benedicti apud Carolum
 VI legatione functurus. Tandem vero
 urgente Arragonum Rege liberi com-
 meatus acceperunt tabulas; eis autem
 vix Pisas salutantibus, generalis adver-
 sus illos mota est seditio, ubi non nisi æ-
 gerrime a publicis insultibus, ac violen-
 tiis præmuniri poterant, Florentinis in
 eorum cædem, & perniciem conjuranti-
 bus. Hæc ita relata hausimus ex Bo-
 nifacio Carthusiano, cujus fides forte
 suspecta est propter immodicum ipsius
 erga Benedictum Papam affectum, vel
 maxime, quia totum hoc factum in actis
 Benedicti Concilio Constantiensi insertis
 longe aliter enarratum perspiciamus.

§. CXXVII.

*Gregorius Concilium convocare
meditatur.*

Haud segnior Gregorius pro parte sua Bzov. an.
L 3 Con-1408.num.9.

Sæcul. XV
A. C. 1409. Concilium congregare meditatur, illud
 Pisanæ Synodo oppositurus. Verum
 hujus propositi executio, cum neutrali-
 tas ferme ubique communis esset, non a-
 deo expedita videbatur. Quippe Con-
 cilium Romæ celebrare haud poterat,
 quod Romani persuasum sibi haberent,
 a Gregorio Urbem suam Ladislao tradi-
 tam, atque ingentem Patrimonii Eccle-
 siæ partem in pignus eidem relictam, nec
 alio ex fine Regem anathemate fuisse
 perculsum, quam ut Papa fraudem suam
 speciosius occultaret. Præterea Genuen-
 sium Republica neutrius Pontificis im-
 perio parebat, & potior Italiæ pars ad
 idem quoque consilium descendebat. De-
 mum Florentini cum suis confœderatis
 Ludovico Andegavensi, qui Ladislai
 Competitor pro Neapolis Regno erat, se-
 se addixerunt. Has ob rationes Grego-
 rius ad Venetorum Rempublicam, pa-
 triam suam, quæ neutri adhærebat parti,
 animum suum convertit, atque in eorum
 conditionibus aliquam urbem pro celebra-
 do suo Concilio seligere decernit. Ergo
 ablegato ad Venetos Nuncio exponit,
 in Exarchatu Ravennatensi ad festum
 Pentecostes Synodum se convocare sta-
 tuisse. Verum hoc Pontificis consilium
 nequaquam probabatur Venetis, utpote
 qui jam antea Legatos suos ad Pifa-
 num Concilium miserant, & duorum
 Conci-

Conciliorum uno, eodemque tempore celebrandorum convocationem nil nisi ad schismatis incrementum conferre iudicaverunt. Talia igitur missis ex Pisanorum Cardinalium sententia oratoribus, datisque literis Gregorio, ejusque Cardinalibus significarunt. Florentini horum quoque secuti sunt exemplum, a Venetis admoniti, quorum imperio Pisana urbs tunc temporis parebat.

§. CXXVIII.

Historia tragica particularis Leodiensium schismatis.

Hunc in statum deductum est generalis schismatis negotium, cum Joannes Burgundiæ Dux Joannem Bavarum Alberti filium, Imperatoris Ludovici Bavarum Nepotem, & Guilielmi Hannoniæ Comitis Fratrem in suo Leodiensi Episcopatu armis tuendum suscepisset. In hac enim quoque Sede diuturnum inter Romanos Pontifices schisma valde tragicam juxta ac cruentam aperuit scænam: ortum traxit ex duobus Episcopis per diversos Pontifices simul confirmatis; Primus erat Joannes Bavarus mox laudatus, & ab Urbano VI, cui Leodienses tum obedientiam deferebant, confirmatus. Alter vero Theodoricus, cujus Pa-

Sæcul. XV.

A.C. 1409.

Monach.

S. Dionys.

l. 29. c. 6.

Monstrelet.

ad hunc ann.

p. 52. l. 1. c. 47.

Sæcul. XV.
A C 1409

ter Henricus de Parweis potentissimus hujus regionis Dominus instigantibus Leodiensibus contra Joannem e Bavaria seditionem movit, ea lege, ut Filium ejus in Episcopum Leodiensem proclamarent. Joannes Bavarus, vitio illa ætate satis solemnī, statum Clericalem nonnisi bonorum Ecclesiasticorum possessiones aucupandi animo amplexus est, nec tamen, ut sacris Ordinibus initiaretur, ullis precibus, ullove pacto induci poterat, quamvis vigesimum quintum jamjam ætatis annum egressus esset. Joannes pertinaci hoc suo consilio adeo Leodiensibus displicuit, ut non raro populi seditionem in se motam declinaturus, Trajectum fugere compelleretur. Nihil vero magis Civium exasperabat animos, quam quod ab Innocentio VII, cujus ad obsequium redierat, diploma extorsisset, vi cujus Episcopatum suum retinendi veniam impetravit, quin illico S. Presbyteratus Ordine initiaretur. Ergo primo secretæ multorum indignationes audiebantur, dein ad criminationem, & publicas querelas, quin etiam ad apertam seditionem res devoluta est, tanto tumultuantium furore, ut Episcopus unacum Curia sua Trajectum præcipiti fuga contendere coactus esset, quo facto reliqua etiam pars Civium Episcopi sui imperium excutere non dubitabat. Parweisus se-

ditio-

ditiosorum agmen ducit, & Theodoricus sæcul. XV.
 filius ejus nonnisi viginti annorum ado- A. C. 1409.
 lescens Joanni Bavaro in Episcopatu Leo-
 diensi sufficitur, quamvis intrusi familia
 oppresso Bavaro plurima debuisset bene-
 ficia, favoresque longe amplissimos.

§. CXXIX.

*Episcopus a Leodiensibus Trajecti
 obsessus.*

Cum singulis persuasum esset, Grego- Theod.
 rium XII Pontificem Maximum schis- Niem. de
 maticam hanc electionem nunquam con- schism. l. 2.
 firmaturum, aut Joannis Bavari, qui c. 31.
 eidem adhæsit, ejectioni suffragaturum,
 confirmatio petebatur a Benedicto XIII,
 qui ambabus ulnis opportunam hanc qua
 suam in Leodienses auctoritatem stabi-
 liret, occasionem amplexus est; quapro-
 pter Legatum suum, qui Theodoricum
 in nova sua firmaret dignitate, Leodium
 decrevit. Inde ex generali Ecclesiæ
 schismate enatum est particulare, duobus
 Episcopis de eadem Sede contendenti-
 bus; quorum cuilibet alteruter patroci-
 nabatur Pontifex. Biceps illa Sedis
 usurpatio integrum tenuit biennium, in-
 terea vero Joannes de Bavaria potissimo-
 rum Principum, qui omnes sibi vel pro-
 xima cognatione, vel foedere juncti erant,

L 5 imple-

Sæcul. XV. implorabat auxilium. Seditiosi autem
A. C. 1409. Joannem Episcopum suum Trajectum
 auffugientem ibidem cum exercitu quin-
 quaginta circiter millium armatorum ob-
 sidione premebant. Obsessi in quartum
Mayer 1.15. jam mensura invicto animi robore oppu-
Gaguin. l. 9. gnantium impetus sustinebant, famis vio-
 lentia pene ad ultimas redacti angustias;
 cum Joannes Burgundiæ Dux opportu-
 ne ad solvendam obsidionem advolat
 exercitum triginta quinque millium suo-
 rum ducens, inter quos octo millia No-
 bilium cum suis scutariis numerabantur,
 reliqui levis armaturæ pedites, potissi-
 mam partem Sagittarii, & Ballistarii
 erant.

§. CXXX.

*Episcopus a Burgundo adjutus, &
 Rebelles cæsi.*

*Monach.
 S. Dionys.
 l. 28. c. 6.
 & 14.*

Igitur Burgundus cum bellicis hisce co-
 piis versus Trajectum ad Mosam Men-
 se Septembri movens, in quodam loco
 duabus, vel tribus Leucis cis Tungrum
 castra locat. Antequam vero armis rem
 decerneret, Parweisium ad mutuum in-
 vitat colloquium de pace ineunda actu-
 rus. Parweisius octo dierum inducias
 paciscitur, ratus, quod Ducem inopinato
 opprimere posset, utpote quem hac secu-
 ritate

ritate fretum minus rebus suis invigila-
 turum sperabat. Quapropter fraudem
 occultaturus de recente vigesima prima
 Septembris die obsidionem solvit, & re-
 cta Tungrum cum exercitu suo procedit,
 ubi decem millia civium arma capere
 iustos secum adducit. Ast die Dominica
 vigesima tertia ejusdem Mensis sole nec-
 dum illucescente Urbe egreditur, Ducem
 Burgundiæ ex insidiis invasurus. Nihi-
 lominus Dux de Parweisii consilio edo-
 ctus, primus hosti suo occurrere constituit,
 atque eodem die motis castris totum
 suum exercitum in conspectum Leodien-
 sium ducit, qui non modico perculsi ti-
 more gradum sistunt, cum jam ad præ-
 lium instructos cernerent, quos in castris
 suis ex improvise opprimere credide-
 rant. Burgundus nulla mora copias
 suas in aciem collocat, atque ex edito
 quodam loco opportune occupato hostem
 a tergo toto impetu adoritur. Atro-
 cissima erant pugnae initia, tantaque a-
 nimi fortitudine, ac irremissa cædis avidi-
 tate Ducis copiae hostium impetus exce-
 perunt, ut Parweisium, qui hucusque
 fortiter dimicabat, ingens trepidatio pe-
 nitus obruerit. Tandem Victoria, quæ
 integram horam ancipiti Marte hinc in-
 de nutabat, penes Burgundiæ Ducem
 stetit, Leodiensibus qua captis, qua
 cæsis, & omni ex parte adeo inhumane
 fufis,

Sæcul. XV.
 A.C. 1409.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

fufis, ut non jam pugna effet, sed furentium laniena, & horrenda hostium carnificina, nec citius Victorum ferocia quiesceret, quam cædibus fessi, nec sibi periculum, nec Leodiensibus amplius arma superesse cernentes reliquos in captivatem abstraherent. Verum Deus hæc quoque miseras seditiosorum reliquias vindictæ suæ reservabat; Burgundus enim, quos cepit, omnes trucidari iussit, veritus, ne hi cum decem millibus civium, qui tardius e Tungro ad firmandum Parweisii exercitum occurrebant, suas quoque vires jungerent, ac toto agmine in Burgundos irruerent, sicque prælium obtenta jam victoria redintegrare necesse foret. Verum inanis erat iste Burgundi timor, Tungrenses enim percepta Leodiensium clade fuga sibi consuluerunt, relictis tamen suorum plusquam duobus millibus, qui ab insequente hoste interfecti ceciderunt. Hoc prælio triginta sex millia rebellium cæsa numerantur. Ipse Parweisius hujus exercitus Imperator ejusque Filius Theodoricus lanceis confossi inter cadaverum acervos Patre matrem filii arctius stringente reperti sunt. Victor vero Burgundus non nisi quingentos vel sexcentos suorum amisit, quos inter septuaginta tantum Nobiles erant. Sexaginta autem factionis Principes capitali sententia plectebantur. Tota Leodiensis

diensis ditio suis exuebatur privilegiis, do-
nec ea restituere, Joanni Bavaro bene vi-
sum fuisset. Expeditione confecta Be-
nedicti Papæ Nuntius, nec non intrusi
Episcopi officiales a populo diris execra-
tionibus appetiti tandem omnes in Mo-
sam demersi perierunt. Tam infelicem
fortiebatur exitum Leodiensium schisma,
abominabilis foetus magni illius schisma-
tis, quo universa Ecclesia in partes scin-
debatur, & ad cujus extinctionem Ger-
mania impensius sua studia conferebat.

Sæcul. XV.

A.C. 1409.

§. CXXXI.

Comitia Francofordiensa.

Germani funesto Leodiensium fato tan-
topere commoti sunt, ut sine omni
ulteriore mora pro abolendo Ecclesiæ
schismate omnes vires suas intendere de-
cernerent. Jam Mense Decembri Anno
millesimo quadringentesimo octavo Gre-
gorius in Germaniam miserat Legatum,
Antonium de Corario Nepotem suum, ut
Rupertum Romanorum Regem inducere-
ret, ne suos ad Concilium Pisanum able-
garet. Econtra Cardinales Pisis congre-
gati nomine suo Landulphum Maramau-
rum Cardinalem Barensem ad Germanos
decernunt, qui ad initium Januarii anno
millesimo quadringentesimo nono Fran-
cofor-

*Niem. de
schisma. l. 3.
c. 38. & 39.*

Sæcul. XV. cofordiam delatus comitiis in hac urbe
A.G. 1409. celebratis interfuit. Erat hic Conventus
 ob ingentem hominum frequentiam op-
 pido solemnus. Aderant præter ipsum
 Rupertum, ejusque Senatam Henricus
 Brunsvicensis Dux, Hermanus Hassiæ
 Landgravius, Fridericus Marchio Mis-
 nienfis, atque alius quidam Fridericus
 Burggravius Norimbergensis, Moguntinus
 & Coloniensis Archiepiscopi, complures
 Episcopi, Abbates, Comites, alique no-
 bilissimi Viri; unacum Franciæ, Angliæ,
 Poloniæ, Bohemiæ, aliorumque Regno-
 rum Oratoribus. Horum Comitiorum
 scopus erat, ut matura deliberatione per-
 penderetur, utrum Pisano Concilio inhæ-
 rendum esset, necne.

§. CXXXII.

*Gregorii ad Comitata Nuncius, & Pi-
 sanorum Cardinalium Orator.*

Raynald. ad Cardinalis Barenfis Patrum Pisanorum
an. 1408. n. 6. Orator in tota Germania summis ho-
& an. 1409. noribus exceptus fuit; Ast non eadem ex-
n. 11. pertus est benevolentiae signa Antonius
 Cardinalis Camerarius, & Gregorii Lega-
 tus, ejusdemque Nepos, primum sexto
 post inchoata comitia die adveniens. Pu-
 blica enim omnium vox erat, eum non
 ob aliam causam, quam ut lites excitaret,
 acces-

accessisse. Solus Rupertus iter agenti se-
 curi comitatus obsequio præsto fuit, eum-
 que perhonorifice exceptit. Tandem Fran-
 cofordiam delatus in pleno confessu ora-
 tionem declamavit, valde prolixam, at-
 que ad seditiones concitandas instructam,
 in qua Gregorium purgare conatus, Car-
 dinales Pisanos, nominatim vero Cardi-
 nalem Barensem indignis admodum ver-
 bis laceffivit. Hæc oratio plurimum cun-
 ctos offendit Principes, soli Ruperto non
 displicuit, qui etiam duobus ex post die-
 bus cum eo Heidelbergam profectus est.
 Nihilo tamen minus in comitiis congre-
 gati discessum ejus flocci pendentes sen-
 tentiam de celebrando Pisis Concilio pro-
 nuntiarunt, eoquod hac via schisma bre-
 vi tempore extinctum iri sperarent. Qui-
 dam Jurium Doctor, nomine Robertus
 de Franzola, sacri Palatii Moguntini Ad-
 vocatus, Cardinales apologia a se concin-
 nata vindicabat, quam etiam ipse Fran-
 cofordiae coram Ruperto, omnique con-
 fessu publici juris fecit.

Sæcul. XV.

A.C. 1409.

§. CXXXIII.

*Legatio Imperatoris ad Grego-
 rium.*

Rupertus hac sententia in Comitibus de-
 creta se nullatenus absterreri passus,
 ad

Sæcl. XV. ad Gregorium Oratores destinat, selectis
A. C. 1409. ad hanc Legationem Archiepiscopo Ri-
 genfi, & Wormatiensi, ac Werdensi Epis-
 copis, unionis tractandæ obtentu, re ta-
 men ipsa Concilium Pisanum impediendi
 studio. Sed hos spes sua fefellit. Grego-
 rius quoque ad protelandum pacis nego-
 tium Episcopum Werdensem Pisas alle-
 gat, Wormatiensi autem Cardinalitiam
 offert dignitatem, quam tamen ille recu-
 sabat. Ceteri vero Principes, qui Con-
 cilio favebant, magnis itineribus Pisas
 contendebant. Joannes Gersonius cele-
 berrimus universitatis Parisiensis Cancel-
 larius Anglorum Legatos, dum Lutetiam
 transibant, habita solemnî oratione exci-
 piebat. Genuæ Pileus Marinus ejus-
 dem Civitatis Archiepiscopus ad Oratores
 Franciæ de mediis extinguendi schisma-
 tis sermonem habuit, viamque cessionis
 tanquam a toto Christiano orbe approba-
 tam, atque ab ipsismet Competitoribus
 promissam, suo quoque firmavit suffra-
 gio. Idem Prælatus Pisis agens librum
 composuit, cui sequentem inscripsit ti-
 tulum: *Informationes Archiepiscopi Ge-
 nuensis de reformatione Ecclesiæ*; egregium
 sane opus, sed ni fallor, necdum typis
 excusum.

§. CXXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.*Mors tragica Guidonis de Reye Remensis Archiepiscopi.*

Inter ceteros Franciæ Oratores, qui Pifas adibant, erat Guido Rex, seu de *Juven. Ur. fin. Hist Ca. rol VI. pag. 200. Monstrelet p. 83.* Reye Remensis Archiepiscopus, qui fatose tragico ultimum suum diem clausit. Cum enim in quamdam ignobilem civitatem, seu ut melius dicam, in Viculum Vutra dictum, prope Genuam pervenisset, faber ejus fabrum loci, exorta inter eos rixa, occidit. Archiepiscopus illico homicidam, ut dijudicata causa condignas poenas daret, judicis tribunali sisti jubet, ratus, hoc pacto se populi sedaturum tumultus de concivis sui morte vindictam quam acerrime exposcentis. At cum commotam plebem alloqueretur, verbis blandioribus placaturus, subito sagitta a quodam hujus pagi incola furiosius emissâ, vocem & vitam huic Prælato eripit. Cives hac cæde necdum satiati insuper & Archiepiscopi fabrum, ipsumque Judicem, in cujus custodia tenebatur reus, trucidant, pari crudelitate ipsum quoque Cardinalem Barensem, ceterosque omnes Legatos e medio sublaturi, nisi ad sedandos populi tumultus Buccicaldus Præfektus cum armatis advolasset. Corpus Archiepiscopi honorifica pompa terræ mandavit.

Hist. Eccles. Tom. XXV.

M da-

Sæcul. XV. datum fuit, & Buccicaldus in hujus sedi-
A.C. 1409. tionis Auctores severius animadverti ius-
 sit, quorum plurimi pœnas mortis pende-
 runt, eorumque domus solo æquatae.
 Quibus peractis Legati iter suum profecu-
 ti, Pisas tandem venerunt.

§. CXXXV.

Concilii Pisani initia.

Collect. Conc. **Primus**, solemnisque concessus Concilii,
tom. XI. p. quod ad diem vigesimam Martii anni
2117. supra millesimum quadringentesimi noni
Bzov. n. 5. Pisis indicebatur, præstituta die habitus
 est, omnibus Gregorii artibus (*) ad impe-
 diendam Synodum incassum adhibitis, ut-
 pote cujus auctoritas eo tempore non am-
 plius adeo suspiciebatur. Regna enim
 Hungariæ, & Poloniæ, nec non Provinciæ
 Russiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rasciæ, Ser-
 viæ, Bulgariæ, & Sclavoniæ, quæ prius
 hujus

(*) Huc applicare liceat ea, quæ in simili
 calumnia S. Antoninus part. 3. tit. 22. c. 5. §. 2.
 de Gregorio scribit, refellens eos, qui tam Gre-
 gorium, quam Benedictum juramentum & fidem
 de unione Ecclesiæ promovenda præstitam violasse
 se arguebant: Quod si, inquit ille, verum credi
 posset ex parte Benedicti, tamen de Gregorio
 non idem apparuit. Licet vulgus ex divulga-
 tione Cardinalium & aliquorum hoc sentiret,
 scilli-

hujus Pontificis partes tuebantur, una-
 cum Comitatu Cilleiensi penitus ab eo
 deficere meditabantur. Concilium istud
 tam nobilitate, quam numero certatim
 confluentium cum aliis Conciliis a longo
 tempore in Ecclesia celebratis de palma
 contendere potest. Intererant viginti duo
 Cardinales, quatuor Patriarchæ, scilicet,
 Alexandrinus, Antiochenus, Hierosoly-
 mitanus, & Gradensis, Archiepiscopi duc-
 decim per se ipsos, & quatuordecim per
 Procuratores, octoginta Episcopi, & du-
 centi aliorum Procuratores; Abbates
 octoginta septem, quos inter Cisterciens-
 is, Claravallensis, Grandimontensis, Ca-
 maldulensis, & Vallis umbrosæ, nomine
 omnium ordinis sui Monasteriorum, item
 Procuratores ducentorum aliorum Abba-
 tum, Priores quadraginta & unus. Ad-
 fuere insuper Generales FF. Prædicato-
 rum, Minorum, Carmelitarum, & Augu-
 stinianorum. Magnus Rhodiorum Ma-
 gister

Sæcul. XV.
 A. C. 1409.

Alex. hist.
 Eccl. Sæcul.
 XV. Dis-
 sert. II. pag.
 345.

M 2

gister

scilicet quod colluderet vel simularet, quinimo
 contrarium ostensum est. Nam Concilium Con-
 stantiæ celebrandum ipsius approbavit: suos
 Cardinales misit, & quia decrepitus erat, ire
 non valens, procuratorem misit Malatestam ad
 renuntiandum. Nec transgressor juramenti
 vel voti judicari debuit, si non debito modo
 agere potuit, quod promisit, alio ei insidante,
 ut nondum clarificatus de jure suo id sibi soli
 usurparet.

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

gister cum sedecim Commendatoribus, Prior Generalis Equitum S. Sepulchri, & Procurator Generalis Equitum Teutonorum, magni Magistri, totiusque Ordinis sui nomine, unacum Academiæ Parisiensis, Tolosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Montispeffulanæ, Bononiensis, Florentinæ, Cracoviensis, Viennensis, Pragensis, Coloniensis, Oxoniensis, & Cantabrigensis aliarumque Oratoribus. Pisas quoque adibant Capitulorum Procuratores centum & amplius, Ecclesiarum Metropolitanarum, atque Cathedralium, nec non Regum Franciæ, Angliæ, Lusitaniæ, Bohemiæ, Siciliæ & Cypri, ac Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Baviariæ, Pomeraniæ Ducum, Brandenburgensis Marchionis, Thuringiæ Landgravii, omniumque pene Germaniæ Principum Legati. Denique plusquam trecenti Theologiæ, ac Decretorum Doctores.

§. CXXXIV.

Sessio prima, illius solemnitas.

Niem. l. 3.
c. 38.

Postquam Prælati Pontificalibus ornati, ritu supplicantium ex Ecclesia S. Michaelis ad Cathedralē Pisanam processerant, feria secunda die Beatissimæ Virginis annuntiatae sacra in anteriori parte templi primus hujus Concilii confessus habi-

habitus est. Disposita ibidem erant sub-
 sellia, quæ quisque pro dignitatis suæ
 prærogativa, atque gradu occuparet. Pri-
 mo loco sedebant Cardinales Prænesti-
 nus, Albanensis, Ostiensis, Podiensis, de
 Tureyo, Salutiensis, & Cardinalis S. An-
 geli, qui omnes Benedicto adhærebant,
 item Cardinalis Aquileiensis, de Colum-
 na, Urfinus, Brancatius, Ravennas, Lau-
 densis, & Cardinalis S. Angeli, qui Gre-
 gorio obedientiam profitebantur. E re-
 gione Altaris, cujus utrumque latus Pro-
 tonotarii Sacri Palatii stipabant, positum
 erat scamnum Oratorum; hi erant, Epi-
 scopus Meldensis nomine Galliarum Re-
 gis; Vapicensis vero, duo Equites, unus
 Legum Doctor, necnon quidam Secre-
 tarius nomine Siciliæ, denique Angliæ
 Regis nomine Nobilis quidam Anglus cum
 quodam Doctore, alioque simplici Clerico
 ex Comitibus Francofordiensibus cooptato.
 Ambos vero ordines inferioris partis Ec-
 clesiæ a summo usque ad imum tenebant
 ceteri Episcopi, atque Abbates; quibus
 proximæ erant sediculæ, ac minores sel-
 læ, usui quorundam a Capitulis & Con-
 ventibus Deputatorum destinatæ. Tota
 reliqua Ecclesiæ parte constitutæ erant
 aliæ sedes paulo humiliores pro omnibus
 Prælatitia dignitate non conspicuis, Re-
 gum, Monarcharum, Principum, & Ma-
 gnatum legatis, inter quos & ceteri Do-

Sæcul. XV.

A.C. 1409.

Sæcul. XV. ctores sedebant intermixti, necnon & pro
A.C. 1409. aliis Capitulorum & Monasteriorum Pro-
 curatoribus.

§. CXXXVII.

Altera Sessio præliminaris.

Prima Sessio non nisi solemnibus de more celebratis absoluta fuerat. In ea Cardinalis de Tureyo Pontificali pompa rem divinam peregit, quam oratio a quodam Doctore Florentino Ordinis S. Dominici declamata excepit. Cum vero tempus propemodum efflueret, Sessionem in crastinum, id est, vigesimum sextum Martii diem differendam indixit. Ergo statâ die Cardinalis Vivariensis, seu forte melius, Cardinalis Pictaviensis, qui & Concilii Præses erat, Missam habuit, qua finita Petrus Philargus, vulgo de Candia Cardinalis Mediolanensis e sacro suggestu ad Concilii Patres dixit, atque eos, ut Ecclesiæ unionem strenue procurarent, adhortatus est. Orationis suæ Thema ex libro Judicum cap. 20. v. 7. depromptit: *Adeste omnes, Filii Israel, decernite, quid facere debeatis.* Absoluto sermone, Cardinales & Prælati sericis cappis diversi coloris, albisque mitris ornati adstabant, decantatis interea quibusdam antiphonis. Tum Diacono *orate* intonante, omnes se prosternunt, & per unius Psalmi *miserere*

re spatium ita provoluti perseverant. Post-^{Sæcul. XV:}
 hæc Cantorum, & Sacellanorum Chorus A.C. 1409.

aliam inchoat Antiphonam, quam exci-
 piebant Litanie a Diacono, & Sub-Dia-
 cono decantatæ, quibus omnes, sicut an-
 tea, humi prostrati respondebant. Tan-
 dem persolutis aliis nonnullis precibus
 Cardinalis Episcopus præcinebat Hym-
 num *Veni creator &c.*, quem totus Con-
 fessus canendo prosequabatur, atque ad-
 ditis quibusdam orationibus pariter ab
 eodem Cardinale decantatis, Diaconus
 alta voce clamabat: *Erigite vos.* Tunc
 omnibus sese elevantibus suum quisque
 occupat locum. Hi ritus in reliquis
 Sessionibus exacte observati fuere. Om-
 nibus hisce solemnibus de more per-
 actis, illi, quos Concilii negotia non
 concernebant, discedere jussi sunt. Quibus
 abeuntibus recitabat Archiepiscopus Pi-
 sanus Gregorii X. Decretum de Processio-
 ne Spiritus sancti, cui Græci in secundo
 Concilio Generali Lugdunensi Anno Sal-
 vatoris millesimo ducentesimo septuage-
 simo quarto subscripserant, tum ejusdem
 Concilii Professionem fidei, nec non Ca-
 nonem Toletani cujusdam Concilii de mo-
 destia, moderatione, ac discretione in
 ejusmodi Synodis habenda. Dein no-
 minantur Concilii Officiales, scilicet, sex
 Notarii, quatuor Procuratores, & duo
 Advocati, qui omnes in manibus Cardi-
 nalis

Sæcul. XV. nalis Prænestini fidem suam jurejurando
A.C. 1409. obstrinxerunt. Quidam ex Advocatis,
 nomine Simon Perusinus postulabat, ut
 Collegii utriusque literæ, quibus Syno-
 dus in caussa Petri de Luna, & Angeli
 de Corario, de eodem Papatu contenden-
 tium convocata est, prælegerentur, at-
 que executioni mandarentur; quod &
 ipsi permissum est. Recitatis hisce lite-
 ris Cardinalis Prænestinus duos Cardina-
 les, & quatuor Archiepiscopos unacum
 Procuratoribus, & Notariis ad valvas
 Ecclesiæ accedere jubet, qui a populo
 quærerent, utrum vel Petrus de Luna,
 vel Angelus Corarius, qui sese Papas no-
 minant, aut forte aliquis alius eorum no-
 mine præsens adesset. Nemine autem
 quicquam respondente, nec ullo ex parte
 ipsorum comparente, ulterior caussæ co-
 gnitio, ac sententia ad sequentem Sessio-
 nem remittebatur, prius tamen alias
 utriusque Pontificis citationes præmitti
 sancitum est.

§. CXXXVIII.

*Sessio III. Dies utrique Competitori
 dictus.*

Spicil. to. 6. Sessio tertia habita est die Mercurii tri-
p. 225. gesima Martii. Sacro solemniter per
Niem. l. 3. Archiepiscopum Pisanum celebrato Ad-
c. 39. voca-

vocatus Concilii edixit: cum pluribus Sæcul. XV.
 jamjam diebus ambo isti de Papatu con- A. C. 1409.
 tendentes incassum expectarentur, exspi- Monach.
 rante legitimo termino contumaciæ dam- S. Dionys.
 nandos esse. Tertia igitur vice vocati l. 29. c. 2.
 fuere. Verum illis nequaquam compa-
 rentibus, contumaces declarati sunt per
 sententiam, quam Guido de Malesicco, seu
 de Maloesse Episcopus Prænestinus, di-
 ctus Cardinalis Piæstaviensis in hæc verba
 pronuntiabat: *Sacra Synodus Dominum*
Petrum de Luna Benedictum XIII nomina-
tum, Dominum Angelum Corario, Grego-
rium XII nuncupatum, de Papatu contem-
dentis, & quantum in eis est, Ecclesiam Dei
notorie in schismate tenentes, legitime requi-
fitos, vocatos, & provocatos in caussa schis-
matis & fidei ad hoc præsens sanctum, & Ge-
nerale Concilium, & omnia in eo agenda, non
venientes, seu legitime comparentes per se,
vel per alios, nec termino statuto satisfac-
ientes, licet expectatos post terminum per
duas sessiones, reputat, decernit, & declarat
in caussa schismatis, & fidei contumaces; &
ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora
debere procedi, & procedendum fore. Or-
dinans Sessionem aliam fieri die Lunæ post
Dominicam in Albis, quæ erit 15 dies men-
sis Aprilis. Ad quam diem statuit præsens
sacrum Concilium, Dominum Cardinalem Tu-
dertinum Domino Gregorio adhærentem, &
Dominos, Joannem Sabixensem Episcopum,
M 5 S. Adria-

Sæcul. XV. S. Adriani, & Sanctæ Mariæ in via la-
A.C. 1409. *ta, de Flisco, & de Chalanto vulgariter*
appellatos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-
nales, Domino Benedicto adherentes, de be-
nignitate expectandos fore, cum intimatione,
quod si prædicti duo Contendentes, & præ-
fati Domini Cardinales non comparuerint in
dicto termino, ad ulteriora procedetur, eo-
rum contumacia non obstante. Ordinavit
nihilominus, præsentem ordinationem in val-
vis præsentis Ecclesiæ Cathedralis affigi pu-
blice, ut de præmissis nullam valeant ignoran-
tiam allegare.

Post hæc agitata fuit quæstio, u-
 trum etiam amborum Competitorum
 Cardinales, si in eorum obedientia per-
 sisterent, hac sententia comprehenderen-
 tur? Patres in diversa abiire studia;
 plurimi tamen eorum, Cardinales mode-
 rata lenitate ad officium revocandos esse
 censebant. Unde res indecisa permanfit,
 seu verius, nihil contra eos, quod illis acer-
 bius odium crearet, statutum est. His pera-
 ctis proxima Sessio usque ad quintam deci-
 mam Aprilis diem quæ feria secunda erat,
 prorogata est, incidentibus Hebdomadæ
 sanctæ, ac Paschatis festis. Interea tamen
 die Jovis vigesima octava Martii Congrega-
 tio Generalis celebrata est, in qua nonnulli
 Articuli ad Concilium spectantes discussi.
 Quinam vero hi fuerint, cum certo non
 constet, conjecturæ locus est, Patres ideo
 con-

convocatos fuisse, ut argumenta eorum, **Sæcul. XV.**
 qui a via cessionis diffidebant, aut Concilii convocationem sine Pontificis auctori- **A. C. 1409.**
 tate non subsistere affirmabant, solidis
 refellere responsis niterentur. Gersonius
 hujus sententiæ fautores peculiari hanc
 in rem elucubrato tractatu confutat, de-
 monstrans, quod unitas Ecclesiæ resideat
 in Christo Domino illius Sponso, & Capi-
 te, atque nullo etiam existente illius Vi-
 cario, sive dein morte naturali, vel civili
 sublatus esset, sive omnis adimeretur
 spes, fideles eidem unquam adhæsurus,
 Ecclesia in tali Christianæ rei statu, ita
 decernente jure divino, ac naturali Ge-
 nerale Concilium convocare queat, in
 quo sibi de unico, ac certo Christi Vica-
 rio provideret. Quoniam vero utrius-
 que Anti-Papæ fautores restituendam
 prius eisdem obedientiam urgerent, Ger-
 sonius docet, juxta divinæ, ac naturalis
 Legis præcepta injustis detentoribus,
 hæreticis, manifestis Schismaticis, furio-
 sis, & hominibus intrusis restitutionis be-
 neficium non suffragari.

Intermediis hisce quindecim diebus
 tam ingens hominum multitudo, & magni
 quoque nominis Virorum frequentia Pisas
 confluxerat, ut civitatis illius angustiæ
 vix cunctos caperent. Inter nobiliores
 erant quatuor Ruperti Bavari Romano-
 rum Regis Legati, scilicet Joannes Archi-
 episco-

Sæcul. XV.
A.C. 1409.
episcopus Rigensis, Matthæus Wormatiensis Episcopus, Udalricus electus Verdenfis, & Conradus de Sufato Spirensis Canonicus; Advenerant quoque Oratores Hierosolymæ, Siciliae, Regum, alique cum ingenti Theologorum, ac Juris consultorum numero qua Italis, qua Gallicis. Rediit etiam Cardinalis Landulphus dictus Barenfis ex legatione sua, qua in Germania perfunctus erat, cum pluribus Prælatibus, aliisque Oratoribus, quorum omnium præsentia quartæ Sessioni magnum splendorem conciliabat.

§. CXXXIX.

Sessio quarta. Ruperti Oratores auditi.

Collect. Concil. tom. II. p. 2119. Et 2172. Spicil. tom. 6. pag. 274.
In hac Sessione Ruperti Regis Romanorum Legati audiebantur: quos tamen non nisi ut simplices oratores haberi, ac excipi voluit Concilium, quin eis sessionem & locum cum ceteris concederet, aut vestibus eorum dignitati convenientibus indutos comparere permetteret, eoque Rupertus necdum communi consensu tanquam Imperator agnosceretur, pluribus adhuc ægre ferentibus, quod Wenceslaus hac dignitate, licet illius ceteroquin indignissimus, exutus fuisset. Udalricus Verdenfis Episcopus orationem habuit

habuit, pro suo textu sibi feligens hæc Sæcul. XV.
 verba: *Pax vobis.* Verum ejusdem ser- A. C. 1409.
 mo intento pacis negotio haud responde-
 bat; referunt enim Historici, Prælatum
 istum a Gregorio sollicitatum, impotentem
 iracundiæ motu adversus Cardinales de-
 clamasse, additque Monachus Sandiony-
 fianus, hos Legatos non ad aliud venisse,
 nisi ad turbanda Synodi consilia, ac
 funditus evertenda, prout ex illis viginti
 quatuor articulis ab Episcopo Verdensi
 propositis, qui calumniis scatebant, mani-
 feste patuit. Petiit Synodus, ut hæc
 propositiones scripto exhiberent; Verum
 cum illas secum non attulissent, hoc ne-
 gotium ad posteram diem in Congrega-
 tione particulari discutiendum fuit pro-
 rogatum. Recedentibus Legatis duo il-
 li Competitores, eorumque Cardinales ite-
 rata vice citati fuere; Neutro autem illo-
 rum comparente, denuo contumaces
 proclamati sunt, & Concilium proximam
 Sessionem ad diem vigesimam quartam
 Aprilis indixit, in qua Ruperti Legatis
 satisfaceret.

§. CLX.

*Dubia Legatorum Ruperti in Congre-
 gatione particulari audita.*

Die Martis decima sexta Aprilis parti- Cone. Collect.
 cularis instituta est Congregatio, cui tom. II. pag.
 tamen 2164.

Sæcul. XV. tamen pauci duntaxat intererant Cardi-
 A. C. 1409. nales. In ea Ruperti Oratores suas por-
Spicil. pag. rrigunt propositiones veluti quædam du-
 261. bia, quorum summam paucis referamus.

Primo inquirebant, utrum Cardinales
 ei, quem ut legitimum Papam veneraban-
 tur, obedientiam subtrahere potuerint?

II. An iidem Cardinales Generale
 Concilium convocare valerent?

III. Utrum Cardinales in Concilio
 congregati, cum alterutrius Papæ adver-
 sarii, atque inimici essent, utrumque Com-
 petitorem citandi auctoritate gauderent?

IV. Qua ratione duo Collegia, quo-
 rum unum verum ac legitimum, alterum
 falsum, ac illegitimum est, in unum con-
 venire & alterum alteri jus, ac potesta-
 tem eligendi summum Pontificem tribue-
 re potuerit? Hæc sunt præcipua dubio-
 rum capita, ad quæ hunc in modum re-
 sponsum est.

I. *In schismate præsentis, quod duo de
 Pontificatu contendentes notorie foverent, re-
 cusando pertinaciter viam cessionis, ad quam
 solemniter se obstrinxissent, obedi-
 entia subtractionem non solum ipsis licite fieri
 posse, sed debere, etiamsi necdum senten-
 tia iudicis depositi essent, alias enim fore,
 ut isti schisma pro libitu suo cum totius
 Ecclesiæ dispendio continuarent, prohib-
 entes, ne illi, qui de eorum obedientia
 essent,*

essent, convenirent, tamque gravi malo Sacal. XV.
occurrerent. A. C. 1409.

II. *Ubi Concilium foret convocandum in caussa schismatis, quod alia via finire non posset, Cardinalibus illud cogendi auctoritatem competere, præcipue ubi ingens Synodi necessitas urgeret, & Papa illud congregare non vellet, aut nequiret, quia forte furiosus, non esse dubium, quin Cardinales hoc possint. Nec esse de substantia Concilii, quod convocans haberet auctoritatem supra Concilium, cum etiam Archiepiscopus convocaret Concilium, quod tamen ipso superius esset.*

III. Quod vero attinet Cardinales, qui adversarii, atque inimici utriusque Pontificis dicerentur, responsum fuit, hæc esse manifeste frivola, hos enim non magis Pontificum adversarios, atque inimicos dici posse, quam illos, qui omnino Pontificibus subtraxissent obedientiam, prout necessitas subtractionem in præsentis schismate suasisset. Ubi, quæ media paci Ecclesiæ magis congrua essent, ipsius Concilii foret decernere. *Item Neutrales & subtractos magis idoneos esse ad cognoscendum de isto casu schismatis, & ad introducendam unionem in Ecclesia Dei, quam illos, qui firmiter obedirent alteri, & ejus partem sustinerent. Nec posse dici adversarios vel inimicos, quia ex culpa ipsorum vocatorum*

pro-

Secul. XV. *procederet hæc subtractio & criminis im-*
A.C. 1409 *positio.*

IV. *Ex juramentis in Conclavi ab utraque parte factis de omni opera ac diligentia ad extirpationem schismatis conferenda, ipsos ad conveniendum in unum obstrictos fuisse, ad unionem Ecclesiæ promovendam. In quo casu etiam, juxta Canones, cum excommunicatis communicare liceret. Nec requiri habilitationem aliam, quam ipsum Ecclesiæ consensum, præterquam quod etiam Cardinales Electores possent ad eligendum Papam secum assumere aliquos, qui jure eligendi carerent. Sicut in aliis electionibus eligentes valerent, in consortium electionis vocare eos, quibus jus eligendi non competeret.*

His propositis, Oratores Ruperti a Cardinalibus postulabant, ut sedulo alium inquirerent locum tam Gregorio, quam ipsismet condecens atque securum, ad quem tempore concorditer designando convenire possent, affirmantes, Gregorium ibidem omnia, quæ promississet, adimpleturum, vel renitente eo, Rupertum Romanorum Regem nulla mora ad eorum partes transiturum, ut alium Pontificem crearent. Malitiosa erat hæc propositio, ut Theodorici Niemi verbis utar, unice ad dissolvendum Concilium & propagan-

*Niem. l. 3.
de Schism.
c. 39.*

pagandum in Ecclesia dissidium excogitata (*). Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CXLI.

Oratorum discessus non expectato responso.

Die vigesima prima Aprilis Oratores Ruperti non expectato responso, atque insalutatis Patribus Pisis discedunt. Antequam vero inde abirent, Conradus de Susato Spirensis Canonicus, qui & ipse inter Ruperti Legatos numerabatur, Regis provocationem ad aliud Concilium Oecumenicum Ecclesiæ valvis affixit. *Conc. tom. II. p. 2239.*
 Hæ provocationis tabulæ fuerunt datæ Pisis in Ecclesia FF. Prædicatorum die decima nona Aprilis. Tenor illarum erat, in præsentī Christianæ Reipublicæ articulo ad Romanorum Regem Synodi convocationem devolvi, illamque sub ejus auspiciis congregari oportuisse; cumque ad Concilium Pisanum ex suis nullum ablegasset, illud nonnisi Conciliabulum esse,

Raynald ad hunc ann. n. 19. & 20.

(* Si Continuator noster publicas provocationis tabulas, quas Rupertus confici atque affigi jusserat, suæ inseruisset Historiæ, manifeste pateret Gregorii causæ æquitas, & Theodorici nequitia. vid. Raynald. Odoric. ad ann. 1409. num. 19. & 20.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. N

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

esse omni destitutum auctoritate, quicquam contra Gregorium ejusque obedientiae addictos attentandi; ideoque Romanorum Regem a Pisano ad aliud legitimum, atque in alio loco convocandum appellare. Verum nulla hujus appellationis habita ratione, Patres libere suas prosequerentur Sessiones.

§. CXLII.

*Carolus Malatesta Gregorij nomine
Pisas delatus.*

Pogg. hist.
Flor. p. 3. p.
54. & 218.
Etc.

Sub idem tempus Carolus Malatesta Toparcha Ariminensis civitatis, ubi Gregorius Senis discedens se receperat, nomine hujus Pontificis Pisas venit, petiturus, ut Concilium ad alium transferretur locum, eoquod hæc urbs Gregorio Papæ merito suspecta videretur. Vir erat Malatesta non modo rei militaris peritia atque animi robore insignis, sed etiam in publicis rebus gerendis versatissimus, ac optimis consiliis longe uberrimus, literas, virosque literatos impense colebat, atque erga illos se admodum liberalem, magnanimumque ostendit, paucis, inquit Leonardus Aretinus, nihil eorum, propter quæ summis laudum titulis celebrari mereretur, in eo desiderari poterat. Hic quamvis Gregorium adversa fortuna ja-

ctatum

ctatum nunquam deseruisset, nullatenus Sæcul. XV.
A. C. 1409.
tamen adduci poterat, ut ejusdem pertinaciam probaret, sed constanter illi auctor fuerat, ut dimisso alterius Synodi convocandæ proposito, Pistorium urbem in Etruria sitam adiret, ibique habitum cum Pisanis Deputatis colloquio suam vindicaret innocentiam, sique necessitas Ecclesiæ deposceret, Pontificia etiam insignia deponeret. Certe si Papa ejusdem obsecundasset consiliis, sententiam exauctorationis in se latam declinasset (*). Nihilominus Malatesta Gregorium novis obsequiis sibi demereri conatus, Pisis cum Albanensi, Tureyensi, Aquileiensi & Mediolanensi Cardinalibus conferebat, irrito licet conatu, Patribus sententiæ de mutando Concilii loco acquiescere, constanter recusantibus. Quocirca Carolus Malatesta re infecta ad suos reverti coactus est.

N 2

§. CXLIII.

(* Equidem certum est, quod Papa, si prius Pontificia sua deposuisset insignia, haud amplius à Pisanis exauctorari potuisset, sed nunquid ideo certa jura dimittere oportet, ut invidorum malitia triumphandi locum habeat?

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CXLIII.

Sessio V. Commissariorum nominatio.

Spicil. tom.
6. p. 274. &
312.

In quinta Sessione die Mercurii vigesima quarta Aprilis habita, iterato ambo Competitores contumaciæ postulantur, & Concilii Promotor contra illos triginta septem proponit articulos, qui totam schismatis historiam complectebantur, sed tamen utrique Pontifici admodum injuriosi erant. Petit idem, ut quamvis in hisce articulis contenta aliunde notoria forent, nihilominus designarentur Commissarii, qui ad pleniorum factorum discussionem testes quoque ad examen vocarent. Procuratoris petitioni detulit Concilium, & Sessio sequens indicta est ad diem trigesimam Aprilis.

§. CXLIV.

Legatorum Franciæ, aliorumque ad Concilium adventus.

Eodem ferme tempore Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Legationis Gallicæ Princeps ad Synodum venit, unacum Collegis suis, excepto Petro Fresnelio Meldensium Episcopo, qui jam a principio Concilii præsens aderat.

Patriar-

Patriarcham Alexandrinum comitabantur Ægidius de Campis Constantiensis Episcopus, Guilielmus Borraterii, & Godofridus de Perusio, Doctores. Paucis ex post diebus Anglorum Legati advenerant, nimirum Robertus Alantus Saresberienfis Episcopus, Henricus Episcopus Menensis seu Sandavidis, Thomas Abbas Monasterii S. Mariæ Jarevallis (*) Thomas Benedictinorum Cantuariensium Prior, Comes Suffolciæ, alius quidam Eques cum duobus Doctoribus. Pisanam quoque urbem salutarunt plurimorum Principum Legati, atque inter ceteros Electorum Moguntini & Colonienfis, Ducis Brabantia, Guilielmi Hollandiæ Comitis, Jodoci Marchionis Brandenburgici & Moravia Archi-Cancellarii S. R. I. Oratores. Omnes isti solemnes in urbem ingressus celebrabant, ad sequentem Sessionem admissi.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

N 3

§. CXLV.

(*) *Theodoricus de Niem tom. 22. de Schism. p. 115. ex publicis tabulis horum oratorum seriem recensens ita profequitur Thomas Abbas Monasterii S. Mariæ Eboracensis; Richardus Abbas Monasterii B. Mariæ Jorevallis, igitur hunc secundum errore typi omissum fuisse conjicimus.*

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

§. CXLV.

*Sessio VI. Saresberiensis Episcopi
oratio.*

*Labb. Col-
lect. Cons.
tom. II.*

Sessio sexta die Martis trigesima Aprilis celebrabatur. Patriarchæ Alexandrino designatus erat locus a dextris medius inter duos antiquiores Cardinales, ejus vero Collegis Petro Fresnelio, & Ægidio de Campis ex eodem quidem latere, sed post S. R. E. Thesaurarium suas sedes occupantibus. A sinistris suis obtigerat locus Angliæ Legatis. Dein Episcopus Saresberiensis, Sacro per Episcopum Lexoviensem celebrato ad Concilii Patres dixit, orationi suæ præfigens textum Psalm. 88. *Judicium & justitia præparatio sedis tuæ.* Nitebatur in ea demonstrare, quod antequam in hac causa ad ulteriora procederetur, ad servandam æqualitatem generalis subtractio obedientiæ decernenda esset, declaravitque, tam se, quam suos Collegas ad prosequendum unionis negotium necnon ad quævis, quæ per Concilium statuerentur, suo assensu firmandi auctoritate munitos esse. Postero die Burdegalensis & Hispanus Cardinales advenerant, quorum primus Cardinalitia dignitate decoratus fuit ab Innocentio VII Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo quinto, & multo

*Niem. 1. 3.
c. 3.*

multo senio confectus Anno supra mille-^{Sæcul. XV.}
 simum quadringentesimo duodecimo ex ^{A. C. 1409.}
 hac vita migravit.

§. CXLVI.

*Sessio VII. Legatorum Ruperti pro-
positiones confutatae.*

In Sessione septima die Sabbati quarta
 Maji celebrata, Petrus de Ancharano
 insignis Jurisconsultus, & Bononiensis
 Academiae Doctor, atque Professor dubia
 a Romanorum Regis oratoribus proposi-
 ta confutabat, illaque omnino infirma,
 frivola, & nonnisi ad unionem impedi-
 dam conflata ostendebat. Postmodum
 recitata fuere eorum nomina, qui per
 Concilium ex diversis Nationibus selecti
 sunt Commissarii pro examinandis testi-
 bus, & recipiendis probationibus, pu-
 blico hujus mandati instrumento desuper
 erecto. Hi erant Cardinales Laudensis,
 & S. Angeli nomine utriusque Collegii,
 Episcopus Lexoviensis, cum tribus Docto-
 ribus nomine Franciæ, unus Doctor no-
 mine Angliæ, alius pro Provincia, ac duo
 pro Germania: nomina vero eorum, qui
 ex aliis Nationibus fuere deputati, igno-
 rantur. Moguntinus, & Coloniensis Lega-
 ti huic sessioni non interfuere ob motum
 inter eos dignationis certamen, quæ ta-
 men

Sæcul. XV. men contentio tractu temporis compla-
 A. C. 1409. nata fuit.

§. CXLVII.

*Oratores a Concilio missi ad Ladis-
 laum Regem.*

*Pogg. hist.
 Flor. p. 184.*

Cum Ladislaus, qui se Regem Siciliæ nominabat, Senensem urbem Florentinorum imperio subditam armis suis acriter premeret, indeque non modicum Concilii Patribus metum incuteret, hi quosdam Cardinales & Prælatos ad eum ablegare decernunt, qui ejus animum delinire, utque deinceps nullos in hac Provincia tumultus excitaret, ei persuadere molirentur. Ladislaus quidem Legatos benigne excipit, nec tamen illos voti damnat, unice intentus, ut refricata pristinarum simultatum memoria Senenses inter & Florentinos nova seminaret diffidia. Querebatur itidem, a Florentinis urbem Pisanam pro congreganda Synodo Cardinalibus permissam fuisse, & quidem ex odio in Gregorium XII, qui tamen legitimus Pontifex esset; cui rei ut obviam iret, urbisque tranquillitatem turbaret, se cum exercitu suo Senas venisse. Ast Ladislaus illic spe sua frustratus, hostili jam irruptione Florentinam infestans dittonem, Aretinam civitatem obsidione cingere

gere parat, verum a Florentinis non sine ignominia depulsus est.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CXVIII.

Sessio VIII, subtractio obedientiae decreta.

Feria sexta die decima Maji habita est Sessio ordine octava. Peracto per Massiliensem Episcopum sacro solemniter, Promotor a Concilio declarari postulat, unionem utriusque Collegii legitimam æque ac necessariam fuisse, Concilium a Cardinalibus ita conjunctis jure congregari potuisse, atque ad illud, utpote quod universalem Ecclesiam repræsentaret, totius causæ cognitionem devolvi, idque quantum ad hoc negotium, nullum Superiorem nec alium præter semetipsum in terris Judicem revereri. His Saresburiensis, & Ebroicensis Episcopi opponebant, utriusque Collegii unionem fieri non posse, quamdiu Cardinales Benedicto adhærerent, eorumque plures in ejus fide perseverarent, ceteris Gregorium pro vero Pontifice venerantibus, ideoque obedientiæ subtractionem generatim esse discernendam. Nihilominus Patres Promotoris petito acquiescentes unionem utriusque Collegii legitimam, & Concilium canonice congregatum esse pronuntiant.

Sæcul. XV.
A.C. 1409

tiant. Quo factò Patriarcha Alexandrinus unacum Episcopo Saresberienſi suggestum conſcendens, auctoritate Concilii, inſuperhabitis duorum Episcoporum, ſcilicet Angliæ & Germaniæ proteſtationibus, ſententiam recitat, cujus ſumma hæc eſt: Non modo quemlibet poſſe, ſed & teneri Gregorio & Benedicto obedientiam denegare, cum ſatis compertum eſſet, eos viam ceſſionis, quam tamen iuramenti Religione promiſiſſent, abhorre- re, atque artiſcioſis tergiverſationibus eludere conari. Hanc ſententiam Promotor ad acta publica referri poſtulabat, quod & impetravit. Sefſio tamen, in qua decretorium contra hoſce duos Competitores ferretur iudicium, ad decimam ſeptimam Maji diem indiſta fuit.

§. CXLIX.

Sefſio IX, ſubtractæ obedientiæ ſententia.

Monach. S.
Dionys. hiſt.
Carol. VI.

Sefſione nona, cum Episcopus Atrebatensis ſacris operatus fuiſſet, Patriarcha Alexandrinus conſenſo ſuggeſtu publice, atque elatori voce prioris ſefſionis recitavit Decretum, vi cujus utriusque de Papatu contendentiſ obſequio atque obedientiæ renuntiatum eſt.

§. CL.

Sessio X. Commissariorum relatio.

Die Mercurii, quæ fuit vigesima secunda Maji, habita est Sessio decima, in qua Promotor per Advocatum exponi præcepit, Commissarios examinatis testibus atque eorum probationibus, & instrumentis in ordinem redactis, cuncta ad Synodum referre paratos esse. Concilii Patribus omnino annuentibus, Advocatus utrumque Competitorem iterato vocari postulat, ut & ipsi testium publicationem exciperent. Cumque Patribus Advocati petitum probaretur, quidam saltem citationis speciem observaturi, ad valvas Ecclesiæ procedebant. Posthæc Archiepiscopus Pisanus unacum quodam Notario, nomine Petro Garnier ex suggestu, cuncta accusationum capita perlegi jussit, ipse vero super quolibet articulo seorsim illos, qui pro testimonio dicebant, testiumque numerum designavit. Quibus ita absolutis Advocatus instabat, ut Concilium omnia facta, & allegata tanquam certa & legitime probata esse declararet, tandemque ulterius in judicaria actione procederet. Cum autem dies jam ad occasum inclinaret, nonnisi viginti articuli in hac Sessione perlegi poterant, ceteris jussu Concilii reservatis ad poste-

Sæcul. XV. posteram diem vigesimam tertiam Maji,
A.C. 1409. quæ erat feria quinta, qua etiam Sessio
 undecima celebranda indicebatur.

§. CLI.

Sessio XI. Continuatio relationis.

In hac Sessione septendecim alia perle-
 gebantur accusationum capita, quæ
 computatis viginti prioribus in Sessione
 præcedenti recitatis triginta septem Arti-
 culorum numerum explebant. Horum
 nonnulli communia utrique Competitori
 crimina complectebantur, alii vero alteru-
 trum sigillatim petebant. Absoluta hac
 lectione ac testimoniorum relatione Ad-
 vocatus suggestum conscendit, & tam
 Procuratorum quam Promotorum nomi-
 ne postulat, ut cuncta prius relata tan-
 quam vera, publica, ac omnibus manife-
 sta esse, sacra Synodus declararet, eo fi-
 ne, ut in actione judiciaria ulterius pro-
 cedi valeret, prout maxima Ecclesiæ ne-
 cessitas & Competitorum pertinacia exi-
 geret. Deliberantibus hac super re Sy-
 nodi Patribus, Pisanus Archiepiscopus
 suggestu conscenso totum negotium ad
 vigesimam quintam Maji diem, nimi-
 rum Pentecostes vigiliam remittendum
 promulgabat.

§. CLII.

§. CLII.

Sæcul. XV.
A. C. 1409.*Sessio XII. Solemnis Decreti Synodalis Promulgatio.*

Stata igitur die, duodecimam celebrant Sessionem, in qua Patriarcha Alexandrinus iudicium prosequendum, atque adversus utrumque de Papatu contendentem decretoriam sententiam esse decernendam declarat, eoquod de tali ageretur causa, in qua omnis mora scandalum simul & periculum procrearet. Postquam vero idem solemniter forma promulgabat Synodale decretum de evidentia factorum, quæ Benedicto & Gregorio adscribebantur, tandem quaesitum fuit, utrum mandatum Commissariis datum revocari, ipsosque suo officio plene defunctos fuisse declarandum esset? Ceterum ex nonnullis Concilii actis addiscimus, potestatem eorum prorogatum fuisse usque ad ipsam sententiæ promulgationem, ut scilicet accedentibus forte novis adhuc testibus, vel quopiam alios producente articulos, etiam hi audiri ac examini subjici possent. Hac Sessione absoluta, sequens ad diem vigesimam nonam Maji indicta fuit.

§. CLIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CLIII.

Sessio XIII. Dies publicandæ sententiæ præfixus.

*Labbe Conc.
Gen. tom.
XI.
Spicil. tom.
VI. p. 321.*

Sessione tertia decima Petrus Plautus Theologiæ Doctor atque unus ex illis, quos Universitas Parisiensis ablegaverat, orationem habuit, sumptoque Themate ex illis Oseæ Prophetæ verbis cap. I. V. II. *Congregabuntur Filii Juda & Filii Israel pariter, & ponent sibi met caput unum*, de auctoritate Ecclesiæ præclare dixit, multisque rationibus demonstravit, Petrum de Luna pertinacem esse schismaticum, quin & hæreticum, ab Ecclesia Dei abscissum, atque Pontificatu exutum. Additque, ejusdem quoque sententiæ esse non solum Parisiensem, sed etiam Andegavensem, Aurelianensem, & Tolosanam Universitates. Finita hac oratione Novariensis Episcopus ex quodam instrumento a se recitato testatum fecit, omnes Doctores in hac Synodo congregatos, haud pauciores numero centum & tribus, Universitati Parisiensi in hoc puncto adstipulari. In idem pariter consilium descendisse Academiam Florentinam, ita judicantibus centum & viginti Doctoribus, cum his quoque conspirare tres supra centum universitatis Bononiensis Doctores, quorum suffragia proferre paratus esset.

set. Posthæc Advocatus rogabat, ut Pa-
 tres pro publicanda adversus ambos Com-
 petitores sententia certam diem dicerent; Sæcul. XV. A. C. 1409.
 igitur præfixa est quinta Junii, quæ erat
 proxima Mercurii dies. Interea tamen
 prima die dicti Mensis habita est Con-
 gregatio, quam non pauci Scriptores de-
 cimam quartam appellant Sessionem, cum
 eadem, quæ in aliis Sessionibus, in hac
 celebrata essent solemnia. In illa Archi-
 episcopus summam relegit Articulos,
 testiumque numerum, ac cujusvis digni-
 tatem atque gradum, suppressis tamen
 eorum nominibus; tandemque subjunxit,
 quod omnibus & singulis ipsa instrumen-
 ta seu ipsas testium depositiones forsan in-
 spicere cupientibus, proxima feria secun-
 da, & tertia in Conventu Carmelitarum
 ea inspectandi copia daretur.

Sessio XIV.

§. CLIV.

*Sessio XV. Sententia definitiva alta
 voce promulgata.*

Congregatio præcedens viam parasse
 videtur Sessioni decimæ quintæ, fe-
 ria quarta die quinta Junii in vigilia festi-
 Corporis Christi celebratæ. In ea Ad-
 vocatus postulat, ut Cardinales alique
 Prælati hunc in finem speciatim nomina-
 ti ad portas Ecclesiæ accederent, ambos
 de

*Niem de
 /chi/m. l. 3.
 c. 44.
 Conc. Labb.
 tom. XI.
 Spiel. tom.
 VI. p. 523.*

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

de Papatu contendentes denuo citaturi. Quo facto, ac Neutro eorum vel per se vel per Procuratores suos comparente, Patriarcha Alexandrinus, assistentibus Antiocheno atque Hierosolymitano Patriarchis in editiorem locum ascendere a Synodo jubetur, ubi elata voce in conspectu totius Concilii & populi, qui etiam admittebatur, apertis Ecclesiæ foribus decretoriam pronuntiant sententiam, his verbis conceptam. *Hæc sancta & universalis Synodus universalem Ecclesiam representans, & ad quam cognitio & decisio huius causæ noscitur pertinere, visis & diligenter examinatis omnibus & singulis productis, probatis, agitatis in præsentis causa unionis Ecclesiæ, & schismatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII, & Angelum Corario Gregorium XII olim appellatos, declarat utrumque esse notorios schismaticos, & schismatis nutritores, hæreticos, perjurii crimine irretitos, & violatores voti, universalem Ecclesiam sanctam Dei notorie per contumaciam eorum scandalizantes ipsorumque & eorum utrumque omni honore ac dignitate abjectos & privatos, ac etiam ipso facto ab Ecclesia præcisos: Insuper inibet omnibus Christi fidelibus, sub pænis excommunicationum, ne ipsis quomodolibet pareant, aut consilium vel favorem ipsis præsent, singulos Processus & sententias ab ipsis contra eos, qui unionem promoverunt, latis irritas,*

tas, cassas & nullas esse declarat, præcipue sæcul. XV.
 nuperas promotiones Cardinalium, per An- A.C. 1409.
 gelum Corarium a die tertia Maji anni præ-
 cedentis, & per Petrum de Luna a die decima
 quinta Junii ejusdem anni factas. Recitata
 hac sententia & Ambrosiano Hymno so-
 lemni ritu decantato cunctis Concilii
 membris inhibitum est, ne sine licentia
 & antequam sententiæ subscripsissent, di-
 scederent.

§. CLV.

*Epistola Parisiensis Universitatis ad
Concilium.*

Eadem die Universitatis Parisiensis De- *Hist. Uni-*
 putati ad Patres Concilii dederunt *vers. Paris.*
 literas, quibus succinctam eorum omnium, *tom. V pag.*
 quæ ad procurandam unionem agitata, *192.*
 fuere, communicabant relationem. *Monstrelet.*
 Eo- *p. 87. vol. 1.*
 dem tempore Cardinalis de Chalanto Be-
 nedicti partibus olim addictus Synodum
 Perpiniensem, cui interfuit, derelinquens
 præsentem huic Sessioni accessit. In ea scri-
 ptum legebat Cardinalis Pisanus, vi cu-
 jus Cardinales spondent, se nunquam Sy-
 nodum dissolvi passuros, donec debita ac-
 sufficiens confecta esset reformatio Uni-
 versalis Ecclesiæ tam in Capite, quam in
 membris suis, seque, si quis eorum ad-
 summum Pontificatum assumeretur, om-
Hist. Eccles. Tom. XXV. O nibus

Secul. XV
A.C. 1409. nibus viribus procuraturos, ut eadem se-
se promissione obstringeret. Postmodum
advocatus Commissarios designari petiit,
qui sententiam mox latam ubique divul-
garent, atque executioni tradendam cu-
rarent, denique postulavit, ut Synodus
ad Patriarchatum Aquileiensem scriberet,
nullatenus Gregorio XII, qui ibidem suam
sedem figere cogitabat, deferendam esse
obedientiam, sed imposterum Antonio Ca-
jetano Patriarchæ, quem Concilio ad-
hærentem Gregorius honoris gradu de-
jicere meditabatur, debitæ subjectionis
homagium præstandum esse. Post hæc
Sessioni decimæ sextæ diem decimam
Junii præfigebant.

§. CLVI.

*Sessio decima sexta, Synodi continua-
tio ab eligendo Papa promissa.*

Pisanus Archiepiscopus in hac Sessione
e suggestu prælegit tabulam, qua Car-
dinales singuli sacramenti religione sese
obstrinxerant, quemlibet eorum, si in Pa-
pam eligeretur, præfens Concilium conti-
nuaturum, nec illius dissolutionem per-
missurum, donec reformatio Ecclesiæ
universalis in Capite & membris facta
esset. Si vero aliquem ex Cardinalibus
absentibus assumi contingeret, effecturos
se,

se, ut eadem promitteret, antequam Sæcul. XV.
A. C. 1409.
ejus electio publicaretur. Pariter sententiam, quæ contra ambos de Papatu certantes promulgata fuerat, ratam habent, jubentque Patres, ut Concilium, quamdiu Sacra Sedes vacaret, continuaretur, in eoque quantum penes ipsos esset, Ecclesiasticæ disciplinæ reformatio urgeretur. Dicta Sessione nil aliud actum; sequens vero ad diem decimam tertiam Junii indicta fuit.

Eodem tempore Concilium nobilitatum est adventu Barenfis Cardinalis tit. Auberii hist.
Card. l. 21.
p. 55.
S. Agathæ, Consobrini Galliarum Regis: Balthasaris Cossæ Bonnoniensis legati Cardinalis tit. S. Eustachii: & Antonii Calvo Episcopi Tudertini, Cardinalis tit. S. Praxedis, qui ad Sancti Marci titulum ab Alexandro V. vocatus fuerat, eo quod jam alius quidam Cardinalis ejusdem tituli adesset.

§. CLVII.

Sessio decima septima. Epistola Cardinalium de electione Pontificis.

Sessio decima septima celebrata est feria quinta die tertia decima Junii. Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus unacum Hierosolymitano & Antiocheno Patriarchis suggestum conscendens, scriptum legit

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

git hujus tenoris: *Quia hujus pestiferi Schismatis tempore, Cardinalium in hoc Concilio existentium quidam sunt a diversis olim per Contendentes de Papatu creati, & Deo dirigente procedendum sit ad electionem unici, & indubitati summi Pontificis, hoc S. Concilium universalem Ecclesiam representans, consentit, disponit, & ordinat, quod ipsi, sic a diversis creati ad electionem prædictam procedant, si & in quantum opus est hac vice, auctoritate hujus S. Concilii, nec per hoc Cardinalium circa electionem Romani Pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare; sed hortatur omnes Cardinales, quod ipsi cum charitate ad electionem unius Pastoris procedant sic unanimiter, quod de quacunque discordiæ scintilla notari non debeant.* Ad hanc Sessionem etiam accessere Regis Arragonum oratores, quibus admitti rogantibus concessa est conferendi facultas, hoc tamen pacto, ut nihil in præjudicium Concilii proponerent, hi quamquam conditionem acceptarent, subjunxere tamen Regem suum, quæ in Synodo gesta essent, penitus ignorare, proin ipsi hucusque actitatis suffragari integrum non esse, eum tamen de singulis edoceri cupere, ac demum spondere, se huic negotio tanta moderatione collaboraturum, ut exinde condignam ab omnibus approbationem sibi promitteret. Petiere porro, ut Benedicti XIII Oratores, qui

qui tum in urbe præsentibus hujus petitionis responsum expectabant, ad alloquium admitterentur. Quibus Concilium respondit, facturum se satis eorum votis, dummodo demandatæ potestatis literas produxissent, his enim exhibitis, a se illico nominandos esse Deputatos, qui eos audirent, nunc vero tempus jam eo progressum esse, ut præsens Sessio huic negotio haud amplius sufficeret.

Sæcul. XV.

A.C. 1409.

§. CLVIII.

Sessio decima octava. Solemnis supplicatio pro eligendo Papa.

Postera die, nimirum decima quarta Junii tempore matutino, Patres Sessionem decimam octavam solemniter auspicabantur supplicatione, qua gratia ad eligendum summum Pontificem necessaria a Deo exoraretur. Intererant Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, atque Abbates, cum tota reliqua Cleri corona. Procedebat longo ordine supplicantium agmen ex templo S. Michaelis ad Ecclesiam Metropolitanam, ubi Cardinalis de Tureyo augustiori pompa sacris operatus est. Post prandium Regis Aragoniæ Legati impense rogabant, ut Benedicti XIII Oratores, quos secum adducebant, a Synodo, prout antea petierant, ad

Sæcul. XV. ad alloquium admitterentur. Verum ipsi
A. C. 1109. indigne admodum habiti, atque a populo
 turmatim confluyente, portasque Ecclesie
 circumstante, cachinis & sibilis excepti
 sunt, quin etiam ad locum Concilii, ubi
 tres Cardinales ad illos audiendos depu-
 tati aderant, deducti, nullo honoris signo
 dignati fuere, quamvis Archiepiscopus
 Tarraconensis, qui & ipse Benedicti Ora-
 tor erat, exclamasset: hos esse Benedi-
 cti XIII Pontificis Maximi Legatos.

§. CLIX.

*Benedicti Oratores auditi. Cardina-
 lium ingressus in conclave.*

Theod.
Niem. l. 3.
c. 45.

Vix nomen *Papæ* adstantium auribus
 insonabat, & ecce! illico Archiepi-
 scopus a toto confessu clamoribus ludis-
 que ignominiose exceptus tanquam hæ-
 retici ac schismatici hominis nuntius pro-
 clamatur. Nihilo benignius Joannes Co-
 sta Mimatensis Episcopus itidem orator,
 cum dicere cæpisset, habitus est. Sedato
 tamen tumultu in crastinum audiri pete-
 bant, quod & eorum precibus datum
 fuit. Hi vero pudorem non ferentes
 comparere ausi non sunt, sed eodem die
 insalutato hospite ad suos redierunt.

id. ib. c. 51. Die decima quinta Junii Sabbato ho-
 ra matutina Archiepiscopus Lugdunensis
 solemne

solemne sacrum celebravit de Spiritu sancto; Novariensis autem Episcopus sermonem habuit in hæc verba: *Eligite meliorem, & eum ponite super solium.* 4. Reg. c. 10. v. 3. Flexo in vesperam die Cardinales in Palatio Archiepiscopali conclave ingrediuntur, cujus custodia Philiberto de Noyllaco Magno Rhodiorum Equitum Magistro demandata est. Eo tempore Pisis morabantur Cardinales numero viginti quatuor, Cardinalis enim Friasius Hispanus & Cardinalis de Chalanto Sabaudus, dimisso Petro de Luna, non ita pridem Concilio accesserant.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CLX.

Alexander V. eligitur Papa.

Cardinales in Conclavi jam per integros decem dies inclusi hærebant, tandem vero feria quarta die vigesima sexta Junii unanimi suffragio in summum Pontificem salutabant Petrum Philargum vulgo de Candia Ordinis FF. Minorum, Cardinalem Mediolanensem dictum, ab Innocentio VII Cardinalem creatum tit. sanctorum duodecim Apostolorum, septuaginta annos natum, qui Alexandri V nomen assumpsit.

Platin. in
Alex. V.

Sæcul. XV.

A. C. 1409.

§. CLXI.

*Hujus Pontificis indoles.**Ciacon. tom.*
2. p. 774.

Nemo Mortalium magis propitia unquam usus est fortuna, quam hic ipse Pontifex. Quippe parentibus tam dura egestate pressis natus erat, ut neque parentes, neque affines ullos cognosceret. Cum adhuc puer ostiatim sibi victum quæreret, forte occurrebat cuidam Religioso Ordinis Minorum natione Italo, qui puerum præcipuo naturæ beneficio ad altiora natum, atque acutissima ingenii acie, necnon eximia memoriæ vi præditum esse cognoscens, Petrum ex misera vitæ suæ conditione vindicare statuit, eumque ipse latinum edocuit sermonem, aliis vero in Philosophiæ, ac Theologiæ studio imbuendum tradidit, tandemque regulari Ordinis sui habitu induit. Postea vero ab eodem Religioso in Italiam delatus haud vulgaria ingenii, ac doctrinæ suæ specimina edidit, adeo, ut a Superioribus suis scholas Celeberrimorum Professorum in Oxoniensi & Parisiensi Universitatibus adire permissus esset. In Longobardiam rediens suis sermonibus, & præclara animi prudentia tantam nominis sui famam sibi conciliabat, ut Joannes Galleatus, Mediolanensis Vicecomes ipsum a suis consiliis, ac primum Principatus sui Dictato-

ctatorem habere, quin etiam proprii Fi-
 lli sui Curatorem in obitu suo scribere
 non dubitaverit. Ipsiusmet hujus Ducis
 rogatu atque favore, primo Episcopus Vi-
 centinus, postea Novariensis, & tandem
 Mediolanensis Archiepiscopus eligitur.
 Legatione etiam functus est ad Wences-
 laum Romanorum, ac Bohemorum Re-
 gem, a quo datis centum quinquaginta
 florenorum millibus obtinuit, ut ditio Me-
 diolanensis in Ducatum erigeretur. Om-
 nium Scriptorum testimonio Sanctitas
 morum, qua floruit, comprobatur. Ce-
 tera laudatissimo, id tamen crimini datur,
 quod tanta liberalitate in alios effusus es-
 set, ut hæc vix non in prodigalitate at-
 que imprudentiæ vitium degenerasse vi-
 deretur. Item quod Cardinalem S. Eu-
 stachii, ad cujus arbitrium se quaquaver-
 sum flecti patiebatur, cæco nimis affectu
 persecutus fuisset. Præterea Fleurius
 Abbas de illo hæc scribit: (*) *Erat sa-*
ne comis, ac liberalis, sed & cibos lautos &
vina generosa haud modice amabat.

Sæcul. XV.
 A.C. 1409.

§. CLXII.

*Gersonii Cancellarii oratio coram
 Pontifice.*

Peracto electionis actu Joannes Gerso-
 nius Academiæ Parisiensis Cancellarius

Gerson.
oper. tom. 2.
part. 1. pag.
131.

(*) *Nulla tamen teste adducto.*

Sæcul. XV. rarius in præsentia Pontificis, totiusque
 A.C. 1409 Concilii in Festo Ascensionis sermonem
 habuit, in quo assumpto textu ex illis
 Actuum Apostolorum verbis: *Domine, si
 in tempore hoc restitues regnum Israel, cap. 1.
 v. 6.* Concilium Pisanum legitimum ac
 Canonicum esse demonstrat, exemplo tum
 Concilii Nicæni a solo Constantino (*)
 con-

(*) Quod eo tempore quandoque Imperatores
 non quidem auctoritate regiminis, sed potestate
 præsidii, ac ex Pontificum assensu, indulgentia
 vel etiam precibus Concilia convocaverint, haud
 inficiamur, & rationes, ob quas id factum fuerit
 optime allegat Bellarminus l. 1. de Concil. c. 13.
 Negamus tamen hoc ipsum Nicænum Concilium
 a solo Constantino fuisse convocatum, cum Ruffi-
 nus lib. 1. hist. Eccles. cap. 1. disertis verbis di-
 cat, a Constantino ex Sacerdotum sententia
 Concilium apud Nicæam fuisse congregatum,
 & Scriptor libri Pontificalis ex consensu S. Syl-
 vestri convocatum referat &c. nec Ecclesia Re-
 gulam ac normam efficit, quid factum, sed quo
 jure factum sit, omnes autem uno ore testantur,
 supremam potestatem ac jus res ad Religionem
 spectantes dijudicandi ac definiendi soli summo
 Pontifici competere, ergo etiam Concilia ad eas-
 dem definiendas convocare penes Pontificem, non
 autem penes Episcopos vel Imperatores esse, quis
 enim Episcopus, Imperator &c. universo Christia-
 no orbi præest? qua ergo jurisdictione cogere
 poterit Oecumenicum Concilium, quod universam
 Ecclesiam repræsentet.

convocati, tum quintæ Oecumenicæ Sy- Sæcul. XV.
 nodi contra Theodorum Nestorii Discipu- A. C. 1409.
 lum ab ipsismet Patribus coactæ. Dein
 Pontificem adhortatur, ut omnibus om-
 nino officii sui partibus strenue satisfaci-
 at, & sine moræ dispendio adversus ambos
 Papatus sui Competitores efficaci cona-
 tu agens, schisma funditus excindat.
 Plurimum quoque declamabat adversus
 corruptos Clericorum præcipue vero Re-
 ligiosorum Mendicantium mores; Car-
 pebat etiam abusus in Beneficiorum col-
 lationibus irrepentes. Ultimo monet Pa-
 pam, atque Patres, ut pro viribus refor-
 mationi Ecclesiæ insisterent.

§. CLXIII.

Sessio XIX. Papa Concilii Præses.

Sessioni sequenti, quæ est ordine decima Conc. Labb.
 nona, die prima Julii celebratæ ipse- tom. XI.
 met Pontifex præfedit. Hanc auspica-
 bantur ab Hymno: *Veni Creator Spiri-*
tus &c. quem ipse Papa præcinebat, quo
 finito Alexander Sedem multis gradibus
 coram summo Altari erectam occupabat,
 tribus Patriarchis e regione sibi assisten-
 tibus. Decretum electionis a Cardinali-
 bus subscriptum promulgavit Cardinalis
 de Chalanto, declaravitque, Alexandrum
 unanimi consensu in summum Pontificem
 fuisse

Sæcul. XV. fuisse electum. Absoluta hac Lectione
A. C. 1409. nonnullæ recitabantur preces, quas Pon-
 tificis oratio excepit in hæc S. Joannis
 verba: *Fiet unum ovile, & unus Pastor.*
cap. 10. v. 16. In illa Pastoris obligatio-
 nes erga gregem suum & gregis erga
 Christum Dominum, qui est bonus Pastor,
 cujus Papa est Vicarius in terris, pluri-
 bus exponebat argumentis. Sermone
 finito, Balthasar Cossa Cardinalis S. Eu-
 stachii aliud promulgabat decretum, vi
 cujus Neo-electus Papa sententias, acta
 judiciaria, & dispositiones per Cardinales
 a die tertia Maji Anni supra millesimum
 quadringentesimi octavi pro unione Ec-
 clesiæ factas, necnon cetera in Concilio
 Generali acta, auctoritate sua firmavit,
 ac rata habuit, & duo illa Collegia in
 unum coadunavit, pollicitus, se reforma-
 tionem Ecclesiæ omnibus viribus pro-
 moturum, Virosque virtute ac probi-
 tate vitæ conspicuos, qui juncta cum
 Cardinalibus opera super hoc puncto
 deliberarent, selecturum. Hac Sessio-
 ne ad finem vergente sancitum fuit, ut
 Pontifex proxima die Dominica ritu so-
 lemni coronationis insignia acciperet;
 sequens vero Sessio ad decimam Julii
 remitteretur.

§. CLXIV.

Sæcul. XV.
A. C. 1409.*Parisiensium lætitia ob Alexandri V
electionem.*

Vix optatissima electionis Alexandri V Monach. S.
Dionys. l. 19.
c. 32.
fama Parisiis insonuit, jam communis
omnium erat lætitia, cunctique supplica-
tionibus institutis processerunt ad Eccle-
sias, ut Deo pro insigni hoc beneficio de-
bitas grates persolverent, populo interim
undique festivis gratulationibus concla-
mante: *Vivat Alexander Papa.* Præterea
Parisienses in memoriam revocabant,
quod Pontifex in urbis suæ Academia
olim Doctoris laurea decoratus ibidem
Theologiam cum ingenti laude docuisset,
idque novum erat gaudii argumentum.
Rex quoque hac Viri prærogativa mo-
tus, Papam nostrum haud inferiore profe-
cutus est honore, ac si Galliarum indige-
na fuisset, vel ex regio Franciæ sanguine
ortum traxisset.

§. CLXV.

Coronatio Alexandri V. Papæ.

Præstituta die septima Julii, quæ proxi-
ma erat Dominica, Alexander Papa
Tiaram accepit, consueta inaugurationis
solemnia supra gradus Ecclesiæ Cathedra-
lis

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

lis peragente Cardinale de Salutiis, qui accensa stupa sub verbis: *Sic transit gloria mundi*, juxta morem in ejusmodi functione servari solitum, Pontificis capiti coronam imposuit. In Sacro solempni Sanctum Evangelium Hæbraico, Græco & latino sermone decantatum est. Papa vero absoluta coronatione Pontificalibus indutus publica ac festiva pompa per urbem equo vectus est, eum comitantibus viginti quatuor Cardinalibus, omnibusque Prælatis, quorum equi albis tegumentis ornati erant. Judæi quoque, ut in illa solemnitate mos fert, in via procedenti Pontifici legis suæ librum offerebant, suorum privilegiorum confirmationem ab illo efflagitantes.

Monstrelet
vol. I.

Montaignu.

Peractis coronationis ceremoniis Papa universam Europam de sui electione certiore reddere non morabatur. Idem etiam Joanni de Orgemontio Parisiensi Episcopo per epistolam a se die octava Julii scriptam denuntiabat. Attamen in tempestiva mors hanc sortem huic Antistiti invidebat, jam enim antequam literæ ad eum delatæ fuissent, die decima quinta ejusdem Mensis e vivis excesserat. Cui Simon de Monte acuto Pictaviensium Episcopus in Sede Parisiensi successit. Hic fratres habebat Archiepiscopum Senonensem, & nominatissimum illum Joannem de Monte acuto Magnifici aulæ

aulæ regniæ magistrum, qui Filium suum Sæcul. XV.
 connubio sociabat Filiaë Alebreti A. C. 1409. supre-
 mi Regionum exercituum Præfecti, Filias
 vero suas omnes cum nobilissimis Regni
 Proceribus copulabat. Hujus in interi-
 tum Burgundiæ Dux, & Rex Navarraë,
 jurati ejus inimici conspirarunt, eorum-
 que instinctu atrocissimorum criminum
 accusatus a Petro des Effarts Parisiensi
 Præfecto custodiæ mancipabatur.

§. CLXVI.

*Ultimum supplicium Joannis de Monte-
acuto.*

Ergo examini & tormentis subjectus
 Joannes, quamvis nihil omnino con-
 fiteretur, capitis tamen sententia damna-
 tus est, qua percepta Joannes regia
 æraria a se expilata, & quæcunque alia
 crimina ultro aperuit. Quapropter capi-
 te plectitur, corporis truncus patibulo
 appenditur, & caput abscissum in loco,
 cui nomen Montfalco, palo infixum ex-
 ponitur. Ejus tamen filius Laudonensis
 Vicecomes ob summam, qua pollebat,
 auctoritatem brevi Patris sui memoriam
 pristino honoris splendore illustrabat, ejus-
 que corpus ex altesato loco sub honori-
 fico Sacerdotum comitatu & luminum
 apparatu ad Patres Cælestinos de Mar-
 cassio,

Sæcul. XV. callio, quorum Monasterium condiderat,
A.C. 1409. transferri curavit.

§. CLXVII.

Cardinalis Barenfis in Franciam Legatus.

Monach.
S. Dionys.
l. 29. c. 7.

Decernitur Ludovicus Cardinalis Barenfis Legatus in Gallias, qui, cum Lutetiam Parisiorum die quarta Septembris salutasset, Navarræ Regem unacum Ducibus Bituricensi, Burgundo & Borbonio obviam habuit, ab eisque, cum eandem urbem solemnî pompa intraret, per urbem deductus est: datum id hujus Viri nobilitati, ac generis sui præstantiæ, suam enim originem ducebat a Maria de Francia, Joannis Regis Filia, ac Roberti Barenfis Ducis uxore.

§. CLXVIII.

Sessio XX. Florentinorum & Senensium Oratores auditi.

Dum interea Pontifex totus in eo erat, ut suam electionem Principibus notam faceret, habita est Concilii Sessio vigesima, die Mercurii decima Julii, quæ erat secundaj sub Alexandri V. Pontificatu. In ea admissi fuere Florentinorum

ac

ac Senensium Deputati, qui obedientiæ Sæcul. XV.
 suæ homagium Pontifici deferentes, ejus A. C. 1409.
 electionem amplis elogiis celebrarunt.
 Dein concessa dicendi copia, singuli ex
 hisce legatis alterno ordine verba fe-
 cerunt, eorumque primus prolixo satis
 sermone exaggerabat obstacula per La-
 dislaum Concilio opposita, necnon labo-
 res, quos Florentini ad ea superanda im-
 pendissent. Alter vero suorum Domino-
 rum nomine omnem opem ac subsidium
 quantum in eis esset, ad promovendum
 unionis Ecclesiæ negotium pollicitus est.
 Post hæc Cardinalis de Chalanto jussu
 Papæ decretum perlegit, quo omnes sen-
 tentiæ toto schismatis tempore ab illis
 duobus Competitoribus adversus eos, qui
 ab eorum obedientia recesserant, latas,
 nullas declaravit, & penitus abolevit.
 Eodem quoque decreto quasvis dispensa-
 tiones super matrimoniis sicut & aliis ca-
 sibus forum S. Pœnitentiariæ concernen-
 tibus a Benedicto & Gregorio concessas
 confirmavit, ratasque habuit. Quibus
 peractis Sessio proxima indicta est ad vi-
 gesimam septimam Julii diem propter ad-
 ventum Ludovici Andegavensis Siciliae
 Regis.

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

§. CLXIX.

*Ludovicus Andegavensis ab Alexandro
Papa in jure Neapolis Regni
confirmatus.*

*Niem. l. 3.
p. 181.
Bzov. ad
1409. n. 12.*

Ludovicus, quem Ladislaus in Regno Neapolitano successionis jure spoliaverat, a Concilio haud vulgaribus honorum significationibus receptus est, atque ab Alexandro V Papa, necnon a Patribus Pisanis hujus Regni jura restituta accepit, addita sapremi Vexiliferi seu Generalis Centurionis Ecclesiæ dignitate. His prærogativis auctus & potentia fultus ad tantas excrevit vires, ut urbes a Ladilao occupatas denuo in suam redigere potestatem, usurpatorem Roma expellere, illamque Romano Pontifici reddere potuerit, a quo Ladislaus anathemate percussus est, prout suo loco recensebimus.

§. CLXX.

*Sessio XXI. Electiones canonice factæ
a Papa confirmatæ.*

*Collect.
Conc. to. XI.*

Sessio ordine vigesima prima Concilii Pisani celebrata est Sabbato die vigesima septima Julii; in qua Petrus Visch Cracoviensis Episcopus solemni ritu divina mysteria celebrabat, quibus peractis Car-

Cardinalis de Chalanto, assistentibus Archiepiscopo Pisano, & Placentino Antistite, nomine Papæ & Synodi decretum prælegit, vi cuius omnes collationes, provisiones, dignitatum ac Beneficiorum translationes, Episcoporum consecrationes & ordinationes ab utroque contentente (Canonice tamen factæ) approbantur, ac ratæ habentur, exceptis iis, quæ in fraudem unionis, vel cujuscunque Membri Synodalis concessæ fuerunt. Postmodum Papa adversus eos, qui Petro de Luna vel Angelo Corario obedirent, ac pertinaciter adhuc adhærerent, juxta legum rigorem procedendum esse decernit. Facta hujus Decreti promulgatione Archiepiscopus Pisanus jussu Pontificis declarabat, summum Pontificem attenta Ecclesiarum paupertate, *non intendere modo, ut antea a nonnullis Prædecessoribus factum, reservare spolia Prælatorum defunctorum, nec fructus beneficiorum vacantium, & procurationum, seu jurium ex visitationibus provenientes, item Ecclesiis liberaliter remittere omnia subsidia, annatarum titulo, Camera Apostolicæ de toto præterito tempore usque nunc debita.* Omnes Concilii Præfules hoc decretum approbant, excepto solo Cardinali Albanensi, cujus repugnantia potissimum ex eo descendit, quod Papa ceteros Cardinales rogasset, ut & ipsi pariter annatas & proventus ex va-

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

ha. 1008
1009
1010

Dupin Bibl.
Script. tom.
XII.

Sæcul. XV. cantibus Pælaturis residuos Ecclesiis at-
A.C. 1409. que Ecclesiasticis condonare velint.

§. CLXXI.

Causa Archiepiscopi Genuensis a Synodo ad Papam devoluta.

*Bzov. ad
 hunc ann.
 n. 15.*

Eadem Sessione Synodus causam Pilei Marini nobilis Genuensis, ejusdemque Civitatis Archiepiscopi summo Pontifici discutiendam detulit. Hic Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo secundo a Bonifacio IX Archiepiscopus Genuensis renuntiatus est: Attamen Benedicto XII Anno Domini millesimo quadringentesimo quinto Genuam appulso cum toto suo Clero illius obedientiæ se devovit, cujus exemplum pariter Cardinalis de Flisco secutus fuerat. Nihilominus Marinus intellecta postmodum utriusque Pontificis Gregorii, & Benedicti collusione securitati suæ in Civitate Genuensi, utpote tum neutri Papæ adhærente, parum consultum iriveritus, sese in quandam solitudinem in Etruria sitam recepit, constituto Ecclesiæ suæ administratore. Inde verò ad Synodum delatus, sub titulo Archiepiscopi Genuensis cum ceteris subscriptus legitur. Hinc illum suæ Archiepiscopali Sedi redditum, fuisse, credere fas est. Hac Sessione

Sessione finita Pontifex alteram Synodum Sæcul. XV.
 Oecumenicam ad Mensẽ Aprilem anni A.C. 1409.
 millesimi quadringentesimi duodecimi,
 vel in hac eadem, vel in alia ad id com-
 moda civitate anno proximo decernenda,
 celebrandam indixit. Sessio vero se-
 quens ad septimam Augusti diem proro-
 gata est.

§. CLXXII.

Sessio ultima. Synodus solvitur.

Sessio hæc Pisani Concilii fuit ultima.
 Cardinalis de Chalanto nomine Papæ
 perlegit decretum, quo cautum esset, ne
 ulla immobilia Romanæ, vel aliarum Ec-
 clesiarum bona nec per Papam, nec per
 alios Prælatos alienari, aut oppignorari
 possent, usque ad proxime indictum Con-
 cilium. Præterea sancitum, ut a Metro-
 politanis Provinciales congregarentur Sy-
 nodi, Religiosi sua celebrarent capitula
 juxta Constitutiones Honorii III & Bene-
 dicti XII, quibus Viri a summo Pontifice
 deputandi præesse deberent. Item, ad
 Reges & Principes mittendos esse nun-
 cios, qui hujus Pisanae Synodi acta per-
 ferrent, & exequenda curarent.

Tandem Pontifex omnibus tam huic
 Concilio præsentibus, quam eidem adhæ-
 suris, plenariam absolutionem a culpa &
 pœna

Sæcul. XV.
A.C. 1409

poena concessit; cum vero Ecclesiam in capite, & membris reformandi proposito propter plurium Prælatorum, Legatorum aliorumque discessum satisfacere non posset, hoc negotium ad proximum Concilium differebat, concessa interim cunctis Concilio assistentibus ad suos redeundi libertate.

§. CLXXIII.

*Concilium Pisanum a nonnullis re-
jectum.*

*S. Antonin.
Chronic.
part. 3. tit.
22. c. 5. §. II.*

His Pisana absolvebatur Synodus, quæ quamvis ab ingenti Doctorum numero approbata fuisset, nonnullorum tamen contradicendi libidinem effugere non poterat; nam, ut nil memoremus de Benedicto & Gregorio, quorum utique, ut eam rejicerent, plurimum intererat; Sanctus quoque Antoninus Pisanum Concilium legitimum non habuit. Cardinalis de Turre-cremata afferuit, sibi saltem persuaderi non posse, ut validum cenleat Concilium, cui Pontificis auctoritas non accessisset. Cardinalis Bonifacius Ferrerius Sancti Vincentii Ferreri Frater, hanc Synodum tanquam conciliabulum, profanum coetum, hæreticum, maledictum, seditiosum, chimæricum, scandalosum, & diabolicum traducit, & si huic Cardinali creden-

dendum, cujus tamen fides ob vehementiores animi sui motus, & partium studium non parum suspecta redditur, Alexandri V electio Cardinalibus Gallis nequaquam probabatur. Præterea Prænestinus, Turciensis, de Salutiis alique tres Cardinales mox peracta Pontificis electione ad suas recesserunt Ecclesias, nunquam amplius Papæ conspectum subituri. Cardinalis etiam de Chalanto in Pisano Concilio actitata respuens, indignabundus discessit. Tandem Nuntius inaugurationem Alexandri V. Genuam deferens, neque ullo lætitiæ publicæ signo, ac nequidem campanarum fonitu a Genuensibus exceptus est. Theodoricus Urie in Germania Monachus nec favorabiliora in sua Concilii Constantiensis historia Imperatori Sigismundo nuncupata enarrat. Ast horum omnia rationum momenta Gersonius solidis confutat argumentis in suo tractatu *de Auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, demonstrans, in certis casibus, quos hic Auctor satis diffuso calamo prosequitur, Papam ab Ecclesia separari posse. *Jn. 224.* *Gerfon. tom. 2. c. 209. &* *Lenfant. hist. Concil. Pis. tom. 1. p. 305.*

Sæcul. XV.
A. C. 1409

§. CLXXIV.

*Rationes pro hujus Concilii aucto-
ritate.*

*Nat. Alex.
hist. Eccl.
tom. 8. Dis-
sert. 2. p. 350.*

EX adverso Pisani Concilii auctoritatem confirmat, non modo Ecclesiarum Franciæ, Angliæ, Lusitaniæ, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Regionum Septentrionalium, & majoris partis Italiæ assensus, sed maxime etiam Ecclesiæ Romanæ suffragium, quæ cum Alexandrum V, ejusque successorem Joannem XXII tanquam veros Pontifices coluisset, sese Synodi auctoritati subjecit, cum vero duo Pontifices simul, eodemque tempore legitimi esse nequeant, eo ipso quod Concilio obsecuta Alexandrum V pro vero Pontifice agnovisset, cæpit Gregorium XII pro Anti-Papa reputare, eundemque ante illius depositionem a Synodo factam, omnesque ejus Prædecessores usque ad Urbanum VI tanquam dubios Pontifices habere. Dein hoc Concilium non modo a Romana, sed etiam ab Universalis Ecclesiæ in Concilio Constantiensi approbatum est, dum Alexandrum V & Joannem XXII pro legitimis venerata est Pontificibus: quamquam enim hæc eadem Synodus Joannem dignitate Papali exuisset, non tamen exauctorationis causam obtendit, quod illegitimus esset Pa-
pa,

pa, sed quia Pontificatui suo pro bono pa-
 cis sese abdicare promittens, Patribus il-
 lulisset turpi fuga dilapsus, propter quod
 & ob alia plura ejusmodi capita Conci-
 lium adversus eum actionem judicariam
 instituire, illumque Pontificii honoris gra-
 du dejicere non dubitavit (*). Ex om-
 nibus

P 5

nibus

(*) Equidem fori Historici non est de auctori-
 tate hujus Concilii decidere, elumbis tamen vide-
 tur ratio Continuatoris, qua ex eo, quod Eccle-
 sia Alexandrum V tanquam verum Papam agno-
 verit, Gregorium Antipapam, & Pisanam Sy-
 nodum approbatam esse evincit, facile enim in
 eum retorquetur argumentum: Ecclesia Grego-
 rium XII non minus legitimis Pontificibus accen-
 set, quam Alexandrum V, ergo cum duo veri
 Pontifices simul in Ecclesia esse nequeant, primum
 est inferre, ergo Alexander V censendus est An-
 tipapa, ergo Pisanum Concilium erravit, & non
 est legitimum, cum verum Pontificem gradu
 dejecit, ergo nec Constantiense erit Concilium
 approbatum, quod Joannem XXIII, quem ceu
 indubium habuit Papam, propter delicta, quae
 tamen exauctorationis poena castigare fas non est,
 sede sua deturbavit. Praeterea juxta ipsum Jo-
 annes XXIII non fuisset legitimus Pontifex, nisi
 legitimum foret Pisanum Concilium, ergo Con-
 stantiense non erit legitimum, quia verum Ponti-
 ficem, qui illud convocavit, deposuit. Nec profi-
 cit universalis Ecclesiae consensus in Concilio Con-
 stantiensi Alexandrum V pro legitimo Pontifice
 habent.

Sæcul. XV. nibus hisce rationibus inferre pronum est,
A.C. 1409. Pisanam Synodum legitimam esse; quæ
 constans semper fuit Gallorum sententia,
 & non abs re, nam tempore schismatis, ubi
 inter

*habentis, nam, nonne etiam idem Concilium usque
 ad Sessionem XIV Gregorium pro Pontifice ha-
 buit, si enim eum nec Papam legitimum, sed An-
 tipapam judicasset, cur tam sollicitè viam ces-
 sionis urgebat, si Joannem XXIII pro indu-
 bio coluit Pontifice, cur idem Concilium jam ab
 initio ab eo exegit juramentum de sua abdicanda
 dignitate, cur comminatum est, ut si cedere renue-
 ret, a Papatu vi esset dejectendus; num unquam
 Ecclesia in casu schismatis cum vero Pontifice hæc
 agendi ratione uti consuevit? unde jam univer-
 salis Ecclesie consensus? cum ipsum Concilium
 Constantiense Gregorii legatum admisit, &
 Sessione XIV ab eo se convocari passum fuerit,
 cum adhuc magna Ecclesie portio Gregorio ad-
 hæserit, cum ipse Alliacensis in tract. de Eccl.
 potestate testetur: quod quamvis obedientia
 Alexandri V teneat Concilium Pisanum rite
 fuisse celebratum, & ejus electionem fuisse ca-
 nonicam, nihilominus obedientia Gregorii pro-
 babiliter tenet contrarium, & sunt minores dif-
 ficultates, quam erant ante Pisanum Concilium
 de obedientia Urbani VI & Clementis VII;
 hæc igitur pars Ecclesie, quæ Pisanæ Synodo
 suffragata est, vel tanta fuit, ut ex ea universalis
 Christi Ecclesia coalesceret, vel non, si non, ergo
 Oecumenica non fuit, si sic, quo jure Constantiense
 Concilium Joannem indubium Papam dejectura
 valuit.*

inter plures contendentes, quisnam ve-
 rus sit Pontifex, certa haberi nequit
 scientia, ad Ecclesiam devolvitur Con-
 ciliium convocandi & Pontificem ab
 omnibus Fidelibus agnoscendum eligendi
 auctoritas. Inde quoque sequi videtur,
 attento Pisanæ Synodi decreto Petrum
 de Luna & Angelum Corarium, qui antea
 sub nomine Benedicti XIII & Grego-
 rii XII tanquam ambigui Pontifices cole-
 bantur, jam certo Anti-Papas; Petrum ve-
 ro de Candia seu Alexandrum V unicum,
 eumque legitimum esse Pontificem. Ce-
 terum omnes istæ, quas Synodus Pisana
 adhibuit, provisiones nequaquam extin-
 guebant schisma, quippe uterque Ponti-
 fex spreto hoc Concilii decreto, suos quis-
 que sectatores habebat, ac Papalis offi-
 cii Partes in residua sua obedientia perti-
 naciter tuebatur. Adhærebant enim ad-
 hucdum Petro de Luna, Arragoniæ, Ca-
 stellæ & Scotiæ regna, Angelus vero Co-
 rarius agnoscebatur ut Papa a Ladislao
 Rege, & nonnullis Italiæ urbibus, quæ
 tamen ipsæ haud diu eidem parebant.

§. CLXXV.

*Rupertus Romanorum Rex Alexan-
 dro V obluetur.*

Ipsemet Alexander V quodammodo schis-
 ma nutrire videbatur, modica erga Ru-
 pertum

Sæcul. XV.
 A. C. 1409.

Sæcul. XV. pertum Romanorum Regem benevolentia
 A.C. 1409. usus, cum Wenceslaum, quamvis pluri-
 bus abhinc annis exauctoratus esset, sub-
 stituto in ejus locum Ruperto, nihilomi-
 nus tamen Regis Romanorum titulo in
 suis literis honorasset. Hanc agendi ra-
 tionem Rupertus utpote sibi injuriosam,
 atque a legibus alienam, ægerrime fere-
 bat, totamque Germaniam acribus im-
 plebat querelis, quibus, ne Alexander V
 pro Papa a Germanis coleretur, impedi-
 re, Principes vero, ut iterum Gregorio
 obedientiam deferrent, inducere connite-
 batur; Verum furdus auribus fabulam ca-
 nebat. Alexander quippe Joannem Naf-
 soviensem S. R. I. Electorem Mogunti-
 num multis favoribus ac insuper munere
 Legati nati in sua Provincia auctum sibi
 plurimum obstrinxerat; Hic idem erat
 ille, qui quondam Godefridum de Livin-
 gen, a Capitulo licet electum, fraudibus
 circumveniebat. Plures insuper alios
 Germaniæ Prælatos Pontifex beneficiis
 sibi devincire studebat, ac sua obvios quos-
 que Legibus solvendi facilitate plurimos
 sibi amicos conciliabat.

Porro ambo Pseudo-Pontifices suam
 exauctorationem permolestè ferentes,
 omnes curas in id contulerant, ut quis-
 que suam dignitatem tueretur, atque af-
 feclarum suorum numerum augeret. Hinc
 Benedictus novos creabat Cardinales, nec
 pau-

pauciores quam duodecim, omnes Na-
 tione Hispanos, vel Arragonenses. Gre-
 gorius haud segnior aliis ad Purpuram
 recens euectis suum quoque ampliavit
 Collegium, quos omnes ex Prælatorum
 suæ obedientiæ addictorum numero sele-
 git, hos inter præcipuus erat Gabriel Con-
 dulmerius, qui postea Pontifex salutatus
 Eugenii IV nomen adoptavit. Præter-
 ea Gregorius obstacula convocandæ suæ
 Synodo opponenda remoturus, a Floren-
 tinis publicæ fidei literas atque obsides
 petit, obtinetque, eo fine, ut plena securi-
 tate ad Venetorum Rempublicam, ubi
 Concilium cogere intenderat, proficisci
 posset. Ad illud quoque encyclicis suis
 literis Imperatorem, Reges, Principes,
 Prælatos, Collegia, & generaliter omnes,
 qui alias Oecumenicis Conciliis assistere
 tenentur, invitabat.

§. CLXXVI.

*Concilium a Gregorio Utini convo-
 catum.*

Facta Concilii sui convocatione Grego-
 rius, Mense Junio ad finem vergente,
 cum exiguo suorum comitatu Lucca
 abiens, inde senas ac demum Ariminum
 profectus, totum ibidem hyemis tempus
 moratus est. Ex eadem urbe aliam Bul-
 lam

Niem. 1. 3i

c. 46.

Rayn. n. 82.

Labbe Conc.
to. XI.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

lam pro convocanda Synodo edidit, ac duas civitates Aquileiensis Diocesis in ditione Veneta, duarum leucarum intervallo discretas, nempe Foroiulium, & Utinum proposuit, in quarum alterutra futurum celebraretur Concilium, postea tamen inter eas Utinensem urbem selegit, ad quam ipse hoc anno supra millesimum quadringentesimo nono circa Pentecosten accessit.

Ibi Concilio suo in festivitate Corporis Christi solemne dedit initium. Ast paucissimis primam Sessionem honorantibus Prælatibus, proximam ad diem vigesimum secundum Junii indixit. Interea binos ex suis Cardinalibus ad Venetos ablegat, qui intentata quoque anathematis poena illius Reipublicæ Præfules ad Synodum compellerent. Verum Veneti, qui jam jam Alexandro V obedientiam juraverant, ejusmodi minas flocci pendebant. Gregorius hisce minime territus, secundam etiam habuit Concilii sui Sessionem, quæ tamen assistentium frequentia haud celebrior erat: In ea Urbani VI, Bonificii IX, Innocentii VII suorum Prædecessorum electiones, necnon & suam Canonicas fuisse, eosque pro veris atque legitimis Pontificibus agnoscendos esse declarat, econtra vero illas Roberti Genevensis Clementis VII nuncupati, Petri de Luna Benedicti XIII, & Petri de Candia Alexan-

Alexandri V recens electorum Pontificum, temerarias, illicitas & sacrilegas esse, eosque schismaticos atque intrusos nullum ad Papatum jus possidentes, omniaque ab ipsis decreta, vel decernenda, irrita ac nulla esse pronuntiat; denique tanquam legitimum Christi Vicarium, cui universalis Ecclesia obedientiam deferre, & jura Papatus ab aliis usurpata sibi restituere teneretur, se solum esse colendum præcipit.

§. CLXXVII.

Papatus abdicatio a Gregorio sub certis conditionibus promissa.

Gregorius, cum se Pisis a Patribus se-
de Pontificali dejectum, Venetiis ve-
ro insidiis ad se capiendum structis expo-
situm cerneret, die Jovis quinta Septem-
bris Sessione habita, ad dimittenda Pon-
tificatus insignia se esse paratum profite-
tur, dummodo pari animi promptitudine
Petrus de Luna, & Petrus de Candia præ-
tensis suis juribus, juxta formulam in Con-
clavi conceptam, per se renuntiarent; ad-
dita lege, ut ille, quem in Pontificem ele-
cturi essent Cardinales, duas suffragiorum
partes ex utraque obedientia solus ferret.
Demum, ne circa locum jurgia orientur,
se Ruperto Romani Imperii, Ladislao
Nea-

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

Lab. Conc.
tom. II. pag.
307.

Sæcul. XV. Neapolis, & Sigismundo Hungariæ Regi-
 A.C. 1409. bus plenam tam tempus indicendi, quam
 locum nominandi potestatem relinquere
 declarat, pollicitus, se quam fidelissime
 eo venturum: Quod si hoc ejus consilium
 Principibus displiceret, se etiam illis Ge-
 neralem Synodum congregandi faculta-
 tem indulturum, ad præfatum locum
 prompte accessurum, cunctisque, quæ a
 majori utriusque obedientiæ suffragiorum
 parte decernerentur, obtemperaturum.
 Verum nil fallacius, nihilque magis illu-
 sorium hac ipsa declaratione excogitari
 potuit; certum enim habebat, hos tres
 Reges, utpote jam per viginti & amplius
 annos bellis implicatos, ad tale negotium,
 in quo contrariis, suisque privatis rege-
 bantur studiis, concordii opera perficien-
 dum nunquam conventuros (*).

§. CLXXVIII.

(*) *Haud calumniæ notam effugit Continuator, dum temere ob tam futilem rationem Gregorium Papam fallaciæ ac illusionis postulat, si enim Germania, Hungaria, & potissima Italiæ pars Concilio Pisano adstipulatæ sunt, ac proin Alexandrum V pro solo vero Pontifice concordii voto acceptarunt (ut Continuator §. CLXXIV. infert, atque jactat) multo magis certum est, & Gregorius credere merito potuit, horum Regnorum Monarchas ad sui, utpote quem Antipapam habebant, cessionem concordii opera perficiendam concursuros.*

§. CLXXVIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1409.*Gregorius sub Mercatoris veste Utino
aufugit.*

Verum omnia tantopere speciosa Gregorii promissa non aliam habebant scaturiginem, quam ingentem, quoangebatur, timorem; quippe locum sui Concilii parum sibi tutum existimabat; cum enim Antonium Panciarinum Patriarcham Aquilejensem e sede sua deturbasset, atque Antonium de Ponte natione Venetum, antea Concordiensem Episcopum eidem suffecisset, tantam Venetorum invidiam sibi creaverat, ut sine *Raynald.* moræ dispendio Utino excedere decre- *p. 390.* verit, veritus, ne Veneti in eum manus injicerent, Pisani Concilii sententiam executuri. Ast hujusmodi fuga gravi difficultate haud carebat, Venetis omnes vias numerofo milite obsidentibus. Quocirca ad Ladislaum Regem literas dare statuit, supplicans, ut sibi duas triremes, quinquaginta equitibus instructas in sui præsidium submitteret. Verum adeo exigua armatorum manus propellendis Venetorum copiis omnes aditus intercludentibus adhucdum impar erat. Ergo consilium in astu quærit Gregorius, & duobus duntaxat co-

Hist. Eccles. Tom. XXV. Q miti-

Sæcul. XV.
A C. 1409. mitibus stipatus, Mercatoris habitum induit, ac solus equo vectus salutis suæ fuga consulere tentat. Viarum custodes prætervectum conspiciunt, sed non nisi unicum hominem, ac forte ex negotio itinerantem rati, ex insidiis prodire haud operæ pretium esse duxerunt, sicque Gregorio adeo liberam evadendi copiam concessere, ut omni ulteriori discrimine perfunctus, binas triremes jamjam ad se excipiendum paratas incolumis attigerit.

§. CLXXIX.

*Loco Gregorii Cubicularius ejus
comprehensus.*

Paucis post diebus Paulus Gregorii Cubicularius unacum alio Viro, qui Papæ a confessionibus erat, Pontificali indutus ornatu insignem quemdam Prælatum mentitus, urbem egressus est, a Ladislai milite Gregorii suppellectilem comitante defensus. Excubiæ illum non alium quam Gregorium existimantes, laxis habenis erumpunt, eumque cum omnibus suis sociis comprehendunt. Attamen cum illi suum agnovissent errorem, eisque Paulus personæ suæ conditionem haud celasset, docens, Papam duobus tantummodo famulis, iisque pedestri-

destribus stipatum, atque equo vectum sæcul. XV.
 evasisse, illico fugientem Gregorium in- A. C. 1409.
 secuti sunt, donec in locum quemdam Niem. l. 3.
 Goritensi Comiti subditum delati intel- c. 45. & 49.
 lexissent, Papam, quem quærerent, con-
 duxisse cymbam, ac demum binas tri-
 remes ejus adventum in portu præsto-
 lantes jamjam conscendisse. Custodes
 pudore suffusi, ac sese delusos esse indi-
 gnati, omnem suam rabiem in Cubicula-
 rium effundunt, quem sexcentis convi-
 ciis obruentes, priusquam eum erga-
 stulo includerent, crebris fustibus exci-
 piunt, illum purpura, qua induebatur,
 exuunt, atque eorum unus Pontificales
 vestes, a Cubicularii corpore abstractas
 induit, hocque apparatu ornatus per
 Urbem Utinensem equo vectus Benedi-
 ctionem more Papali per ludibrium im-
 pertitur. Denique Gregorii suppellex
 dividitur, ejusdem Curiales pessime
 habentur, & Cubicularius ad sagulam
 usque omni veste exspoliatur. Cum ve-
 ro Custodes corpus ejus iteratis tunde-
 rent ictibus, eorum aliquis quidquam
 durius verberum impulsui obsistere anim-
 advertens, miserum usque ad interio-
 rem tunicam denudat, & milites ex-
 cussio ejus sagulo quingentos aureos dex-
 tre insutos reperiunt, quos inter se divi-
 debant. Interim Gregorius feliciter A-
 prutium pervenit, & Ladislai patrocínio
 tutus

Sæcul. XV.
A C 1409

tutus Cajetæ sedem suam fixit, sola enim Apulia, & quædam Etruriæ, Liguriæ ac Æmiliæ portio eum tanquam verum Pontificem venerabatur.

§. CLXXX.

Bulla Alexandri V. in favorem Mendicantium.

Monach.
S. Dionys.
6. 29.

Interea temporis Alexander V. postquam Pisano Concilio finem imposuerat, identidem Pisis morabatur; cumque ipse Ordinis FF. Minorum institutum professus esset, affectus ac specialis amoris sui testimonium Religiosis Mendicantibus relinquere cupiens, Bullam concessit, die duodecima Octobris datam, atque ad omnes Christiani Orbis Prælatos directam, in qua adductis Bonifacii VIII & Clementis V. diplomatibus in favorem Dominicanorum, & Fratrum Minorum editis declarat, quod sacra Sedes Apostolica horum privilegia cum extensione ad Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo Ordinum fratres rata haberet; postea recenset condemnationem a Joanne XXII fulminatam adversus assertionem cujusdam, nomine Joannis de Poliano unacum ejusdem retractatione. Tandem Decreta Bonifacii VII, & Joannis

Niem. l. 3.
6. 53.

nis XXII quæ Religiosorum Mendican-^{Secul. XV.}
tium privilegia concernunt, confirmat, A.C. 1409.
& propositiones contrarias condemnat,
non obstante Constitutione, quæ incipit:
Omnis utriusque sexus, nec attentis aliis
Bullis & decretis Apostolicis contrariis
quibuscunque &c.

§. CLXXXI.

*Querelæ Universitatis Parisiensis
contra hanc Bullam.*

Universitas Parisiensis ob hanc Bullam
haud parum commota, Pisas quos-
dam ablegat, veritatem rei exploratu-
ros. Cum autem ex illis intellexisset,
quod ipsimet hanc Constitutionem plum-
beo sigillo munitam viderint, (*) qua
Reli-

(*) *Vel hi deputati Bullam non inspexerunt, vel turpiter mentiti sunt, nam in dicta Bulla quæ incipit: Regnans in excelsis nil habetur de administratione Sacramentorum in Parochiis, nil de decimarum receptione, sed expressis verbis dicitur: in Ecclesiis autem Parochialibus, nisi requisiti, fratres illi nullatenus debent prædicare &c. nec etiam hora, in qua Prælati solemniter prædicant. De decimis, &*

Sæcul. XV.
A.C. 1409

Religiosis Mendicantibus omnia Sacramenta in Parochialibus Ecclesiis administrandi, decimas, si eis offerantur, percipiendi jus atque potestas concessa esset. Rei novitas Universitatem Parisiensem graviter offendit, quapropter omnes Religiosos Mendicantes a suo corpore separandos, atque ab Academia arcendos decernit, eisque nullam Parisiis prædicandi facultatem deinceps dandam esse, donec Bullas in suis Authographis exhibuerint, illisque omnibus renunciauerint. Patres Dominicani & Carmelitæ illico huic decreto morem gessere, se nil antiquius habere profitentes, quam ulte-

de jure omnia Sacramenta in Parochiis administrandi, ne verbulum quidem in hac Bulla habetur. Ergo hæc Continuator nimia credulitate ex suo Theodorico Niemo, Auctore proscripto mutuavit; nosse debuisset, quod tumultus Parisiis excitati fuerint per quemdam maledicum, qui in vulgus sparsit, Mendicantibus decimas Parochorum concessas fuisse, errore desumpto ex facultate sepulturas in eorum Ecclesiis habendi, & ex consequenti, quartam funeralem percipiendi. Nunquam ergo ejusmodi privilegia Alexandrum Mendicantibus concessisse probari poterit.

ulteriore[m] Universitatis protectionem **Sæcul. XV.**
 atque favorem. Longe alia autem ce- **A.C. 1409.**
 teris FF. Mendicantibus inhærebat sen-
 tentia, præcipue Franciscanis, qui ad-
 versus Ordinarios Parochos acrius insur-
 gentes publice propugnabant, sibi prædi-
 candi, confessiones excipiendi, atque a
 Parochiis decimas colligendi jus & fa-
 cultatem competere. Rex igitur hosce
 tumultus suppressurus edictum promul-
 gari, & Monasteriorum valvis affigi ju-
 bet, vi cujus omnibus Sacerdotibus cu-
 ratis sub poena confiscationis bonorum
 suorum temporalium cautum erat, ne
 Franciscanos, & Augustinianos in eorum
 Ecclesiis ad populum dicere, & fide-
 lium confessiones audire permetterent.
 Denique Joannes Gersonius, Universita-
 tis jussu hanc Pontificis Bullam impu-
 gnavit, declarans, illam nec tolerari, nec
 cum juribus Ecclesiæ conciliari posse,
 proin penitus abolendam, cum totum
 ordinem Hierarchicum inter Prælatos
 sanctæ Ecclesiæ invertere, ejusque præ-
 rogativis derogare videretur. Universi-
 tas quidem nullam disertis verbis hac su-
 per re pronuntiabat sententiam, Joannes
 autem Papa, qui Alexandro V paulo post
 successerat, revocatis omnibus Mendican-
 tium privilegiis cuncta in pristinum sta-
 tum reduxit.

*Gerson.
 oper. tom. 2.
 part. 3.
 p. 431. 442.*

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CLXXXII.

*Bulla Alexandri V. adversus
Ladislaum.*

*Raynald.
ad hunc ann.
n. 85.*

Exstat alia adhuc Bulla ab eodem Alexandro V. Pisis die prima Novembris contra Ladislaum Gregorii fauorem edita, qua hujus Principis indolem nigris depingit coloribus, illi usurpationes suas exprobrat, atque immodicum, quo ad fovendum schisma, & turbendam Ecclesiæ Romanæ pacem in Gregorium ferebatur, studium objectat, eidemque diem dicit ad percipiendam sententiam, vi cujus Regno Siciliæ, omnibusque aliis bonis ac juribus exauctoratum declaraturus esset. Adeo severæ castigationis capita adducens, eoquod Ladislaus violata sui juramenti religione, spretisque Joannis XXII & Clementis VI sanctionibus, ditiones Ecclesiæ occupasset, atque adversus Pisanam Synodum conspirationem iniisset.

§. CLXXXIII.

*Alexander Papa Pisis Pistojam
abit.*

*Pogg. hist.
Flor. p. 189.*

His peractis Alexander Papa exeunte Mense Novembri Pisis, grassante ibidem

dem lue discedens, primo Pratum, dein ^{Sæcul. XV. 2}
 Pistojam seu Pistorium Etruriæ urbem ^{A. C. 1409.}
 venit, aliquamdiu ibidem hyematurus.

Interea Balthasar Cossa S. Eustachii Cardinalis, tum temporis Bononiæ Legatus copiis Ludovici Andegavensis, qui Romam recuperaturus Ladislaum bello premebat, sese adjunxerat. Papa comperta Ladislai clade, non modicam spem concipiebat, se proxime Romam reversurum; nec vanum erat Pontificis augurium, Cardinalis enim S. Eustachii cum exercitu ex Ludovici Andegavensis, Florentinorum & Senensium milite conflato jamjam totam illam Etruriæ regionem emensus erat, quæ Patrimonium S. Petri appellari consuevit, omnesque illius terras secundis armis recuperabat. Inde recta agmen Romam ducens, ac Pauli Ursini Legionibus junctus, ejusdem ope Urbem nullo ferme negotio suæ potestati subjecit; quo facto Ludovicum Andegavensem solemnī pompa in urbem introduxit, illiusque possessionem Alexandro V asseruit. Parta hac victoria Romani tam insolita efferebantur lætitia, ut in vicis & plateis nil nisi publicæ gratulationes, & festiva tripudiantium jubila insonarent.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CLXXXIV.

Bulla Alexandri V. de sacra expeditione in Turcas.

His feliciter peractis, Papa Roman tardius venit, adhucdum per aliquod tempus Pistojae moratus, ex qua urbe sacrum bellum contra Turcas suscipiendum indixit, non modo Rhodiorum Equitum, sed maxime Sigismundi Hungariæ Regis precibus expugnatus; Rex enim haud procul Semendria seu Sinderovia in Servia ingentem passus erat cladem, eoquod equestres ejus copiae incautius in hostium agmina præcoci furore irrumperent, adeo, ut non amplius per pedestres turmas opportuno auxilio fulciri possent, indeque factum, ut tandem & ipsi pedites conspecta equitum cæde, fuga salutem quærere compulsi essent.

§. CLXXXV.

Ejusdem Pontificis Bulla adversus Hussitas.

Ceterum nulla alia sollicitudo anxius Alexandri V. animum occupabat, quam Hussitarum in Bohemia progressus. Contra hos igitur Bullam Pistojae die

die vigesima Decembris, hortante Sbin-^{Sæcul. XV.}
cone Archiepiscopo Pragensi, datam pro-^{A. C. 1409.}
mulgavit. Equidem Joannes Hussus er-
rores suos jam dudum concionibus disse-
minare cæperat, nunquam tamen sua au-
dacia apertius odium in se concitaverat,
quam Anno Domini millesimo quadrin-
gesimo octavo ad finem vergente, vel
ineunte Anno sequenti.

§. CLXXXVI.

*Joannes Hussus ab Archiepiscopo
Pragensi damnatus.*

Ea res autem inde ortum trahebat; *Raynald.*
cum enim potior Europæ pars tam *ad hunc ann.*
a Benedicti XIII, quam Gregorii XII obe-^{n. 89.}
dientia defecisset, ac neutri horum ob-
sequium præstitisset, Joannes Hussus u-^{Vide supra}
trumque Pseudo-Pontificem in suis ser-^{s. VIII.}
monibus tanta infectabatur rabie, ut e-
tiam plura contra Ecclesiæ Catholicæ
dogmata effræni impetu effutierit. Qua-
propter Archiepiscopus Pragensis contra
Hussum tanquam schismaticum Ecclesiæ
fulmina vibrare, illumque per omnem
Diocesin cunctis functionibus Sacerdo-
talibus interdicere statuit. Ast Joannes
Hussus pro eo, quod jussis pareret, potius
in summum Pontificem & Clericos acrius
invehebatur, hacque via ingentem Ec-
clesia-

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

clesiasticorum partem adversus Papam ad defectionem pertrahebat. Sbinco re intellecta duo edidit decreta, unum ad Pragensem Academiam directum, cui injungebat, ut Wiclefi libros ad se deferret, flammis tradendos, alterum ad omnes Parochos, & Verbi divini Præcones transmissum, quibus præcepit, ut populum instruerent, quod post pronuntiata Consecrationis verba in SS. Eucharistia nil superfit, præter Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & Vini, quem articulum Joannes Hussus concionibus suis impugnabat.

§. CLXXXVII.

Diffidia in Universitate Pragensi.

Boless. Balb.
epit. rer.
Boh. pag.
418. 428.

Sub idem ferme tempus alius accidit casus, quo Joannes Hussus non paucorum invidiam apud Germanos sibi accersivit. Academia Pragensis ab Imperatore Carolo IV ad normam Parisiensis Universitatis Anno Salutis reparatæ Millesimo trecentesimo quadagesimo septimo condita, quatuor constabat Nationibus, Bohema, Bavara, Saxonica, atque Polona. Cum vero tres illæ postremæ vix non omnes ex Germanis componerentur, ac proin tribus omnino suffragiis Bohema Natione potiores essent, ideo

potis-

potissimam partem Cathedrarum, digni-
 tatum, Academiæ negotiorum, ac præ-
 cipuorum Urbis Beneficiorum, exclusis
 Bohemis, sibi solis vindicabant. Joannes
 Hussus probe animadvertens, quod
 hancce Germanorum usurpationem non-
 nulli ex suis popularibus, præprimis
 Hieronymus de Praga, & Joannes de
 Zuvikowiz valde iniquo ferrent animo,
 cum illis sua confert consilia, junctaque
 eorum opera omnes Wenzeslaum jam
 aliunde Germanis ob ereptam sibi Impe-
 riales coronam infensum supplices a-
 deunt, ut deinceps Bohema Natio, jux-
 ta Universitatis Parisiensis institutum, ac
 Caroli IV sanctionem, extraneis pro uni-
 co voto computatis, sola tribus suffra-
 giis gauderet. Hæc causa ingenti utri-
 que animorum contentione agitata
 est; Verum Joannes Hussus auctoritate
 ac gratia, qua apud Reginam tenero af-
 fectu sibi addictam plurimum valebat,
 opportune usus, suorum Concivium po-
 stulatis propitiam a Rege obtinuit sen-
 tentiam, quæ die decima tertia Octobris
 Anno Salvatoris nostri millesimo qua-
 dringentesimo nono publicata fuit. Igi-
 tur Germani causa se cecidisse, simulque
 privilegia sua amisisse ægerrime ferentes,
 Academia excesserunt, & in Misniam
 transmigrarunt, abductis secum duobus
 & amplius Studiosorum millibus.

§. CLXXXVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CLXXXVIII.

Joannis Hussi provocatio ad Gregorium XII.

*Raynald. ad
ann. 1409.
n. 89.*

Hussus hoc artificio non modicam in Academia Pragensi obtinuit auctoritatem ac famam. Quocirca facili negotio pluribus suis Collegis persuaserat, primum edictum a Sbincone Archiepiscopo emanatum, Privilegiis ac Universitatis facultatibus gravissimum inferre præjudicium, utpote cujus membris quoscunque demum libros tenendi ac legendi ac vitum jus atque libertas competeret; in altero autem mandato putidum contineri errorem, cum adstrueret, sub speciebus panis & vini nil nisi Corpus Christi, & Sanguinem ejus in calice contineri. His commentis decepti ab Archiepiscopi decretis ad Gregorium XII eo tempore adhuc in Germania pro Pontifice cultum provocant: quare Gregorius admissa horum appellatione Archiepiscopum Pragensem Romam venire jusfit, qui tamen cum Alexandrum V datis literis certiore reddidisset, Wiclefi errores in Bohemia plurimum ex eo invalescere, quod illi, qui Wicleff libros legissent, depravata doctrina in suis concionibus diffeminata ubique
Regnum

Regnum inficerent, laudatam impetra- Sæcul. XV.
 vit Bullam, qua Pontifex eidem præ- A.C. 1409.
 cepit, ut omnibus viribus conniteretur,
 ne latius in populos perverfæ hujus do-
 ctrinæ virus diffunderetur.

§. CLXXXIX.

*Wiclefi errores ab Archiepiscopo
 Pragensi proscripti.*

Igitur Archiepiscopus Pragensis hujus Dubrav. hist.
 Bullæ, quam vigesima Decembris die Bohem. l. 19.
 datam memoravimus, auctoritate muni-
 tus, Joannis Wiclefi libros decretorio
 proscriptis judicio, ac contra quatuor
 Doctores, qui ejusmodi codices penes
 se detentos ad eum deferre detrectabant,
 judiciariam decrevit actionem, eosque
 per iteratam sententiam concionibus
 intra sacella habendis interdixit, dem-
 ptis quibuscunque privilegiis, quibus
 forte gauderent. Insuper summus Pon-
 tifex Archiepiscopo facultatem tribuit, ut
 assumptis aliis quatuor in Theologia
 Magistris, & duobus Decretorum Do-
 ctoribus refractarios tanquam hæreti-
 cos, cujuscunque demum status, gra-
 dus, aut conditionis essent, compesce-
 ret, invocato etiam, si opus fuerit, bra-
 chio

Sæcul. XV. A.C. 1409. chic sæculari, non obstantibus quibus-
 cunque appellationibus interpositis.
 Hæc tamen Pontificis Bulla Joannem
 Hussum, utpote qui tum Academiæ
 Rector tam in Urbe quam in aula non
 modica pollebat auctoritate, adeo non
 sollicitum reddebat, ut etiam eosdem
 errores suos eo liberius diffeminare
 continuaret, prout in progressu
 Historiæ nostræ per-
 spiciemus.

